

1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

DE FONTIBUS

VITARUM HADRIANI ET SEPTIMII SEVERI IMPERATORUM AB AELIO SPARTIANO CONSCRIPTARUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS ACADEMIAE RUPERTO-CAROLAE

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT

AEMILIUS PERINO

MANHEMIENSIS.

FRIBURGI BRISIGAVORUM

A. MDCCCLXXX.

TYPIS DILGERIANIS.

CURTIO WACHSMUTH

HENRICO GELZER

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

I. De vita Hadriani.

De fontibus vitae Hadriani imperatoris ab Aelio Spartiano traditae Muellerus apud Buedingerum [1]) copiose is quidem, sed parum dilucide atque distincte egit. Ruebelius[2]), qui aliis in vitis dissertationem Muelleri laeto cum fructu retractavit multosque eius errores diluit, hanc Hadriani vitam nescio quam ob causam silentio praeteriit. Quare non est, cur miremur, hic potissimum permulta restare, quae accuratiorem tractationem quam maxime desiderent, plura etiam, quae ne temptata quidem in obscuro iaceant. Nam quae Dreinhoeferus [3]) protulit ad compositionem huius vitae melius perspiciendam usui non sunt.

Ut breviter dicam, quae fuerit illorum sententia, Muellerus exploratum censuit, hanc vitam permagna ex parte redire ad Marium Maximum; quam sententiam Dreinhoeferus ita ampliavit, ut duobus exceptis locis IV, 8—10 et XIV, 6 [4]) omnia ad illum auctorem referret. Quonam iure viri docti ita statuerint, simulatque in singulas eius vitae partes diligentius inquisiverimus, manifesto apparebit.

Itaque sine mora adgrediamur ad primam huius vitae partem, cuius finem in c. IV statuo. Quae quattuor capita si attento animo perleges, statim illam dispositionem in ceteris quoque vitis ex Mario Maximo haustis conspicuam agnosces: 1) de origine et familia Hadriani I, 1—2; 2) de pueritia atque educatione I, 3—5; 3) de muneribus publicis et rebus ante imperium gestis II, 1—IV, 7 certiores fimus. Porro II, 10 [5]) Spartianus vel disertis verbis ad auctoritatem Marii Maximi confugit, qua in re neglegendum non est, Plotinae in Hadrianum favorem, quo eum promotum esse praestans ille scriptor loco allato testatur, etiam IV, 1 et IV, 4 [1]) urgeri. Quibus tertium

1) Untersuchungen zur römischen Kaisergeschichte 1868—70, III p. 33—43.

2) De fontibus IV priorum historiae Augustae scriptorum diss. Bonnae 1872.

3) De fontibus et auctoribus vitarum, quae feruntur Spartiani, Capitolini, Gallicani, Lampridii diss. Halis Saxonum 1875.

4) Adhibui editionem Peteri, Lipsiae 1865 indeque numeros exscripsi.

5) II, 10 denique . . . ad amicitiam Traiani pleniorem redit nepte per sororem Traiani uxore accepta favente Plotina, Traiano leviter, ut Marius Maximus dicit, volente.

addere possumus argumentum, quod primo aspectu ad contrariam potius sententiam ducere videtur. Libere enim Aelius Spartianus ea, quae in ipso initio (I, 1) de imperatoris origine tradantur, ex Hadriani ipsius libris de vita sua conscriptis desumpta esse profitetur. Qui libri, quorum Cassius quoque Dio. 69, 11[2]) mentionem facit, iterum commemorantur VII, 2 et, ut e praesenti tempore usurpato elucet, etiam III, 3 et III, 5 intellegendi sunt (III, 3 „dicit", III, 5 „adserit" sc. Hadrianus); neque dubito, quin duo alii loci, ubi non nominantur, adiciendi sint. Apparet enim e compluribus locis Hadrianum, quantum posset, Traiano obtrectasse eiusque facta improbavisse, nimirum eo consilio, ut se populo eo magis commendaret, velut V, 1 bellicoso animo Traiani suum pacis amorem opponit; V, 4 Sarmatosirin regem, quem Traianus Parthis imposuerat, inde revocasse traditur, quae omnia, ut postea videbimus, ab assentatore quodam Hadriani ad eius voluntatem conscripta sunt; quo obtrectandi studio Hadrianus vel eo adductus est, ut nonnulla populo minus accepta ad secreta Traiani mandata referret totumque odium ei iniungeret[3]); quod vero nefariae malignitatis est, eum non puduit foedissimis vitiis Traianum adspergere taliaque ipsum divulgare, veluti III, 3 Traianum et ipsum vinolentum fuisse et socios, ut idem facerent, praemiis adhortatum esse insimulat. Quae cum ita sint non dubito et III, 11, ubi pigritia, et II, 7, ubi effrenatus puerorum amor Traiano obicitur ad Hadrianum revocare, quam sententiam eo magnopere muniri existimo, quod II, 7 culpa discidii inter Traianum et Hadrianum exorti ab Hadriano avertitur et tota in illius libidinem transfertur. Quamquam autem, ut ostendimus, haud pauca Hadriani vestigia patent, tamen si quis inde colligeret illos principis libros a Spartiano ipso inspectos esse, longe eum a recta via aberrasse ducerem. Praeterquam enim quod per se probabile non est, stupidos illos et pigerrimos compilatores, qui laborem susceptum sibi levare quocunque modo et minuere studerent, ad fontem tam largum tamque reconditum recurrisse, aliud quoque in promptu est argumentum, quod etiamsi extrinsecus petitum est, tamen non facile quisquam respuerit. Idem enim usu venit in vit. Pesc. Nig. IV, 7, ubi haec legis „in vita sua Severus dicit, se priusquam filii id aetatis haberent, ut imperare possent, id in animo habuisse, ut si quid forte sibi accidisset, Niger Pescennius eodem et Clodius Albinus

---

1) IV, 1 (Traiani ei familiaritas crebuit.....) usus Plotinae quoque favore, cuius studio etiam legatus expeditionis Parthicae tempore destinatus est. IV, 4 secundo consul favore Plotinae factus.

2) Cassius Dio 69, 11: ὡς Ἁδριανὸς γράφει.

3) cf. IX, 1—2, praecipue haec fidi auctoris qui ibi expressus est, verba „haec... eo tristiora videbuntur, quod omnia, quae displicere vidisset Hadrianus, mandata sibi ut faceret secreto a Traiano esse simulabat".

succederent". Quid quod in vit. Alb. III, 4 Capitolinus idem simillimis verbis auctoritate Marii Maximi nixus narrat „nec negari potest, quod etiam *Marius Maximus* dicit, hunc animum Severo primum fuisse, ut si quid ei contingeret, Prescennium Nigrum et Clodium Albinum sibi substitueret, sed postea et filiis iam maiusculis studens et Albini amori invidens sententiam mutasse' etc., quae ipsius Marii Maximi verba esse ex eo conicio, quod compilator, qua fuit neglegentia, orationem rectam et obliquam, quam aiunt, miscuit: „Albinum — studens — invidens — mutasse." Quod vero gravissimum est, Capitolinus cum scribit „quod *etiam* Marius Maximus dicit", testimonium huius scriptoris adeo effert, ut pateat Severi libellum ei non praesto fuisse, cum, id si fuisset, sine dubio Severum potius ipsum quam Marium Maximum testem adhibuisset. Minime in eo haerendum est, quod, si codices respicimus, Pescennii vita Aelio Spartiano, Clodii Albini autem Julio Capitolino debetur, cum primum ea quaestio ne dirempta quidem sit, deinde ovum ovo non sit similius quam, quod ad pigritiam attinet, Julius Capitolinus Aelio Spartiano. Nemo igitur, opinor, gravabitur concedere neque Severum neque Hadrianum ab Aelio usurpatum esse, sed utrobique Marium Maximum primarium fontem fuisse, quem illorum principum libellos adiisse, ut fuit magna diligentia atque vigilantia, per se verisimile est.

Una tantum c. II¹· § 9 suspicionem mihi inicit, non quo Apollonius Syrus Platonicus ibi nominatus me moveat, sed quia alieni aliquid hic irrepsisse videtur. Primum enim oraculum, quod § 8 allatum est, spectat ad discidium Traianum inter et Hadrianum obortum, quo sollicitus hic e Vergilianis sortibus consilium petiit eaque sola Mario Maximo fuit causa eius afferendi. Idem non cadit in II, 9. Augetur suspicio insequenti „denique" (in § 10), quod eis, qui morem horum compilatorum cognitum habent, pro certo signo est, iam aut ad novum fontem scriptorem transire aut ad pristinum quendam reverti.

Ceterum hac occasione oblata paucis pravam opinionem ab omnibus hucusque acceptam redarguam. Crediderunt enim viri docti semper peculiarem particulam de oraculis ominibusque a Mario Maximo certo curriculi vitae loco insertam esse [1]). Sed contrarium factum esse, facile evincitur, modo ipsas vitas adeas. Ne omnes adhibeam, praeter Hadriani vitam, ubi illa per totam priorem partem dispersa sunt (cf. II, 4; II, 8 [II, 9]; III, 5), Severi quoque vita argumento est: habes ibi per quattuor capita ea dispertita: I, 4; I, 6—10; II, 8—10; III, 4—5; III, 9; IV, 6. Etiam extrinsecus id confirmatur, cum apud Suetonium, quem satis constat non modo continuatum esse a

1) Cf. H. E. Dirksen, Die Scriptores historiae Augustae, Andeutungen zur Textes-kritik u. Auslegung derselben, Leipzig 1842. p. 60, Ruebel p. 53, Dreinhoefer p. 9.

Mario Maximo, sed etiam pro exemplo habitum, idem observemus, e. g. in vit Galbae cf. c. IV, p. 200, v. 34—p. 201, v. 14; c. VI, p. 201, v. 38; c. VIII, p. 203, v. 3—9; c. IX, p. 203, v. 26—32[1]) Contra oracula illa et omina et a Mario Maximo et a Suetonio, ubi licebat, secundum ordinem tomporis, quo facta esse credebantur, narrationi rerum innexa sunt. Quocirca, ubi eiusmodi narratiunculae, quae non aperte ceterarum rerum ordini applicatae sint, in unam molem congestae nobis occurrunt, non temere suspiceris aut omnia ex alio fonte fluxisse aut certe nonnulla a compilatore copia facta de aliis auctoribus indita esse.

In c. III omnia apte inter se excipiunt, quaestura a. 101, bellum Dacicum a. 101—102, tribunatus a. 105, secunda expeditio Dacica Traiani a. 105—106, praetura a. 107, bellum Sarmaticum, consulatus a. 109, legati munus circa a. 114/15, alter consulatus a. 119. Semel tantum IV, 2—4, ubi Spartianus subito Hadriani et amicorum et inimicorum seriem enumerat, illa munerum honorumque enumeratio male interrumpitur; quam ob rem has tres paragraphos a Mario Maximo abiudicaverim. Cui suspicioni firmum subditur adminiculum comparato loco simillimo vit. Ant. Phil. et ex ea quidem parte allato, quam non e Mario Maximo haustam, sed e diversis fontibus inerter conflatam esse luce clarius est, dico III, 8—9, ubi haec habes „amavit e condiscipulis praecipuos senatorii ordinis Seium Fuscianum et Aufidium Victorinum, ex equestri Baebium Longum et Calenum". Qui duo loci cum adeo similes sint, ut utrobique vel inter amicos senatorii ordinis et equites diligenter distinguatur, non dubitabis, quin eidem auctori debeantur, neque, si unum Marii Maximi non esse probabile est, nihilominus alterum ei assignabis. Sed cum in coagmentationem vitae Antonini Philosophi hic inquiri non possit, alia ratiocinatione utar, qua fortasse idem efficitur. Duos enim illos locos intuenti nonne probabilis tibi videtur haec coniectura, consuetudinem in ea re conspicuam esse i. e. fuisse quendam scriptorem, qui amicis enumerandis peculiarem locum reservaret. Hunc autem non esse Marium Maximum, eo evincitur, quod in dispositione a Mario usitata, qualem e ceteris vitis refingere possumus, eius consuetudinis vestigium nusquam deprehenditur.

Etiam § 6—7 ego vix ad Marium rettulerim. Sed de hac re altius mihi repetendum est. IV, 6—10 satis diversa atque inter se pugnantia de adoptione Hadriani traduntur, cum alii eum a Traiano filii loco receptum esse asserant, alii fraude ac dolo eum imperium occupasse. Re vera autem Hadrianum adoptatum non esse, si quid aliud, certissimum est. Cassius enim Dio, cum ipso initio l. 69,

---

1) Rothii editionem adhibui.

quo res a Hadriano gestas memoriae prodit, maxima cum gravitate atque acerbitate hoc iudicium ferat „Ἀδριανὸς δὲ ὑπὸ μὲν Τραιανοῦ οὐκ ἐσεποιήθη, duo inde manifesta sunt: primum, opinionem illam, qua Hadrianus a Traiano adoptatus credebatur, nimirum Hadriano ipso eiusque libertis auctoribus, iam usquequaque divulgatam fuisse, deinde autem Cassium Dionem aut potius eius patrem, quo teste utebatur (69, I, 3—4), certissimis argumentis nixum esse, cum, id ni fuisset, vix crediderim eum tam confidenter contra ceterorum testimonia illam adoptionem comenticiam increpare ausurum fuisse. Sed apud Spartianum quoque eiusdem memoriae vestigium relictum est et id quidem in ea parte, quam fide dignissimam esse infra fusius demonstrabo. Exstat is locus in c. IX, ubi auctor, postquam narravit Attianum et Similem praefectura abdicare coactos esse, ita pergit „summotis his quibus debebat imperium". Quibus verbis quid aliud significetur, nisi illorum auxilio fraudem adoptionis institutam et peractam esse, ego nescio. Eundem Attianum Dio quoque ut participem facinoris incusat; Plotinam autem illius consilii non modo adiutricem, sed auctorem fuisse facile credemus, si ea recordabimur, quae compluribus locis de eius in Hadrianum favore legimus; neque contra illum Spartiani locum moneri debet Plotinam non esse nominatam, cum ibi non de adoptione agatur, sed tantum occasione data illa fraus attingatur, ut ingratus Hadriani erga amicos animus patefiat.

Sed redeamus ad IV, 6—7. Ego quo impensius illa considero, eo minus possum credere, ea Mariana esse. Primum enim ex XX, 3[1]), ubi Marius veros principis mores detegit, apparet, eum Hadriani laudi minime indulsisse, neque minus II, 10 edocemur, eum, quae in intimo palatio tum facta sint, non ignorasse. Denique cum IV, 5 acerrime perstringatur ambitus Hadriani, qui quocunque modo libertorum delicatorumque Traiani gratiam sibi quaesisse perhibetur, cui non nascitur suspicio, eum, qui talia tradiderit, fraudem illam, qua Hadrianus imperium consecutus est, ignorare non potuisse. Itaque, etiamsi certi quidquam eruere non licuit, tamen verisimile reddidisse mihi videor, de hac re gravissima Marium cum Dione concordasse.

Tria, quae IV, 8—9 sequuntur, excerpta unde collecta sint, dicere nequeo, quartum autem (§ 10) ad eundem fontem rettulerim, quem compilator per c. IX secutus est, nimirum propter IX, 6.

Postquam hucusque probavimus primae particulae maximam certe partem ad Marium Maximum redire, jam eo disputationis deducti sumus, ubi prima amplior digressio ad alium scriptorem denotanda est, quae, ut hoc statim pronuntiem, pertinet inde a c. V § 1 usque

---

1) XX, 3: Marius Maximus dicit eum natura crudelem fuisse et idcireo multa pie fecisse, quod timeret, ne sibi idem quod Domitiano accidit, eveniret.

ad § 8. Propria huius fontis haec sunt. Primum attendas immutatum genus dicendi; omnia enim breviter ac presse narrantur et ita quidem, ut in ea ipsa re consilium auctoris agnoscamus. Quae brevitas partim efficitur sententiis ipsis simplicissime conformatis, partim, praecipue in § 8, participiis mirum in modum cumulatis. Praeter hanc artificiosam narrationis brevitatem variandi quoque studium fugere te non potest; animadvertas enim copiam locutionum: V, 2 *lacessebant... bellum inferebant... teneri non poterant... seditionibus urgebatur... rebelles animos efferebant.* Videmus igitur dictionem, quamvis magnam affectet sententiarum simplicitatem, tamen maximo opere esse expolitam atque quaesitam. Quod genus dicendi ut auctorem rhetorum in ludis satis versatum demonstrat, ita prorsus abhorret a consuetudine Mariana.

Sed etiam accuratius natura huius fontis describi potest. Res enim semper in favorem Hadriani vertuntur: consideres tantummodo prima huius partis verba „adeptus imperium ad priscum se statim morem instituit" (V, 1), scil. a quo priores principes nec non Traianus magno rei publicae damno defecerunt, „et tenendae per orbem terrarum paci operam intendit", quae iterum non sine reprehensione Traiani ducis bellicosissimi dicta sunt. Quod Hadrianus ea, quae Traianus summo cum labore comparavit, ne conatus quidem defendere barbaris concessit, leviter exemplo Catonis excusatur. Quae vero V, 5 sq. de clementia principis atque moderatione praedicantur, satis declinant a plerisque auctoribus, praecipue a Mario Maximo, qui XX, 3 eum natura crudelem fuisse testatur. Denique, nimirum ut offensionem quamvis evitet, hic fautor praeclarus Hadriani simpliciter scribit „Lusium Quietum exarmavit"; sane prorsus exarmavit, cum eum, ut VII, 1—2 legimus, necavit.

Auctor igitur, quem Spartianus hic exscripsit, non modo rhetor, sed etiam Hadriani laudator fuit neque tam veram historiam quam encomium componere studuit. Quem cum per se probabile sit Hadriani aetate floruisse, quoniam non nisi imperatore vivo tali studio sua praemia erant, signum apertissimum accedit, quod V, 3 dictum ab Hadriano saepius usitatum („ut dicebat"), quo cessionem illarum orientis provinciarum apud amicos sodalesque excusare solebat, memoriae tradidit. Multo etiam gravius est, quod vestigia haud abscondita adsunt, e quibus patet hanc vitam ab illo historico penitus ad consilium et voluntatem principis conscriptam esse. Iam non ad illa respicio, quae supra in favorem Hadriani conversa esse ostendi, sed in ipso illo Catonis exemplo, quo satis longe repetito Hadrianus usus esse narratur (V, 3) nec non in primis huius capitis verbis „ad priscum se statim morem instituit" Hadriani studium et dicta et facta ad priorem rei publicae aetatem dirigendi aliunde quoque com-

pertum conspicitur; quae observatio ob eam causam summi pretii est, quod si qua idem studium antiquitatis agnoscemus, id certo nobis documento erit Spartianum eiusdem historici aulici auctoritati se addixisse.

Sed iam inter nos conveniat oportet, ubi finis largioris huius excerpti statuendus sit. Ut mihi quidem videtur in § 8. Quid enim quod Spartianus V, 9 ita pergit „post haec digressus est ad inspiciendas reliquias Traiani". Haud paulum oppido temporis, dum Hadrianus ad visendas imperatori defuncti reliquias proficisceretur, praeterlapsum sit necesse est, cum antea pacem conderet tribus provinciis Parthis traditis, rege, quem Traianus eis imposuerat, retracto proximisque gentibus dato (§ 4), nec non Judaeis, qui modo bellum excitaverunt, compressis atque sedatis (V, 8). Quae cum ita sint, dubium non est, quin re vera hic tansitus fiat.

Sed ea, quae sequuntur, ipsa inter se non bene cohaerent, immo speciem excerptorum e diversis fontibus congestorum prae se ferunt. V, 10 enim narrat auctor Hadrianum per Illyricum Romam venisse, VI, 1—2 autem litteras commemorat ad senatum datas, quas ille miserit necesse est, priusquam Romam advenisset. Quod si fortasse potius neglegentiae compilatoris tribuendum est, cum legeret „Romam contendit", incogitanter scribentis „Romam venit", tamen aliud quoque adest, in quo haeream. Postquam enim VI, 1 Spartianus epistulae mentionem fecit, VI, 2 iterum, quasi antea nihil de litteris dixerit, incipit verbis „cum ad senatum scriberet", quamquam sumendum est eandem fuisse epistulam, qua Hadrianus et decessum principis honestis verbis prosecutus divinos ei peteret honores et imperium suum celeriter occupatum excusaret. Sed etiamsi duas epistulas fuisse putemus, id saltem significandum erat, neque altera alteri nullo verbo adiecto simpliciter adponenda. Cui tamen fonti unumquidque tribuendum sit, in incerto mihi relinquendum est.

Contra VI, 6—8 confidenter ad eundem revoco fontem, cuius vestigia compilator in c. V pressit, cum non modo hic quoque frequentia participiorum *audito tumultu, praemissis exercitibus, infulis ornatum, imminutis stipendiis, cognito negotio*, quae ad brevitatis studium pertinent, in oculos incurrat, sed etiam priora illa optime continuentur. Conexus enim, qui in illo fonte praebetur, hic est: Judaeis compressis Turbo Mauretaniae seditiosae praeficitur (V, 8), Hadrianus ipse ad comprimendos Sarmatas et Roxolanos ire in Moesiam contendit. Hic lacuna in conexu narrationis exstat, quam ita expleo: Hadrianus autem, nondum scimus quam ob causam, e Moesia decedere cogitur et ipsius loco Turbonem e Mauretania arcessitum relinquit eumque *praefecturae* titulo ornat. Nonne haec optime procedunt? unum tantum, si omittimus illam lacunam, in obscuro est,

quaenam sit praefectura illa. Utrumque ut edoceamur, ad insequens caput paulisper transeamus oportet, unde statim clara luce eae res illustrantur.

VII, 3 legimus „Hadrianus ad refellendam tristissimam de se opinionem, quod occidi passus esset uno tempore quattuor consulares, Romam venit Dacia Turboni credita, titulo Aegyptiacae praefecturae, quo plus auctoritatis haberet, ornato". Iam tu suspicaberis, quid rei sit. Eadem res utroque loco, neutro tamen plane et accurate refertur: priore deest causa, cur Dacia subito Turboni permissa sit, altero omnia omissa sunt, quibus absentia Hadriani in Moesia explicetur; contra adeo reliqua consentiunt, ut utrobique urgeatur et munus illud ipsum extraordinarium fuisse[1]) et praeter ordinem Turbonem, quo plus haberet auctoritatis, titulo praefecturae Aegyptiacae ornatum esse. Haec enim praefectura etiam VI, 7 intellegenda est, non praefectura Mauretaniae ut verba tradita docent — neque ii qui codicum scripturam „post Mauretaniae praefecturae infulis ornatum" mutarunt in „post Mauretaniae praefecturam infulis ornatum" veritatem assecuti sunt, sed recte Mommsenus coniungit „praefecturae infulis". Quod autem ille putat ante „Mauretaniae" excidisse „administrationem" vel simile quid, magis mihi arridet, quia simplicior est, coniectura H. Peteri scribentis „*post Mauretaniam* praefecturae infulis ornatum". Bene enim e consuetudine horum scriptorum dicitur „post Mauretaniam", ut XIII, 6 quoque habes „cum *post Africam* Romam redisset". Utrum adiectivum „Aegyptiacae", cuius in nullo codice vestigium superest ipsius compilatoris incogitantia interciderit an librarii oscitantia iam discernere non possumus.

Patet VI, 6—8 ex alio fonte fluxisse atque VII ! capitis principium, cum nemo contenderit, ab uno auctore de eadem re bifariam esse relatum. Sed etiam c. V a c. VII ! initio seiungendum est, cum, id quod iam supra tetigi, de Lusii Quieti supplicio et V, 8 et VII, 1 mentio iniciatur. Namque cur de duabus coniurationibus cogitemus, nullam video causam, immo et Cassius Dio unam tantum conspirationem commemorat eamque primo Hadriani imperii tempore factam esse testatur[2]), neque omnino verisimile est intra tam breve spatium ab iisdem bis imperatori insidias structas esse. Itaque cum neque V, 1—8 neque VI, 6—8 cum c. VII ! primis paragraphis communem habeant fontem, iam nova adest ratio, qua commovearis, ut mecum c. V, 1—8 et VI, 6—8 consocies. Nam in universum propter pigritiam eorum compilatorum, quibus historiam Augustam debemus,

---

1) VI, 7 „ad tempus praefecit", id quod VII, 3 „Dacia Turboni credita" inest in voce credendi.

2) Cass. Dio l. 69, 2, 5.

ea semper regula tenenda est, ne plures statuamus fontes quam res ipsa neccesario postulat.

Restat, ut auctorem quattuor priorum paragraphorum c. VII! — § 5 enim iterum aliud excerptum incipit — nunc designemus, id quod possumus ex eis, quae de usu librorum Hadriani supra exposuimus. Nam si re vera notitia illius vitae ab ipso imperatore confectae per Marium Maximum ad Aelium Spartianum pervenit, VII, 2 „ut ipse (sc. Hadrianus) in vita sua dicit" ad praestantem illum fontem nos deducunt, quae sententia praeterea genere dicendi muniri mihi videtur.

Iam vero postquam perspeximus, quomodo tota in hac narratione diversa permixta atque confusa sint non adest, cur miremur eam quam maxime esse perturbatam. Neque tamen, cum singulos, e quibus consarcinata est, panniculos discriminaverimus, difficile est expeditu, quo temporis ordine res inter sese excipiant. Cum Hadrianus eo tempore, quo coniurati illi poenas dabant, Roma abesset, verisimile est, insidias ei in Moesiam ire contendenti in ipso itinere positas esse. Qui illud consilium frustratus iter continuavit eosque senatui puniendos reliquit. Ita si res disponimus, id quoque explicatur, quomodo princeps se ipsum excusans totam eius rei invidiam in senatum Attianumque[1]) conicere potuerit, cum illi Hadriano absente poenas executi essent. Qua quidem re ambigui Hadriani mores illustrantur; cum enim adversarios suos de medio tolli cuperet, poenam, quam talibus criminibus constitutam esse probe noverit necesse est, non inhibuit; ut autem odium talis supplicii de nobilissimis viris sumpti effugeret, ipse manus dificillimo hoc negotio abstinuit eamque fortasse ob causam in itinere libenter perrexit. Deinde vero cum senatus Hadrianique amici sua sponte illos homines punivissent, totum invidiae onus eis iniunxit.

Sed quid tempus in describendis Hadriani moribus tero, cum difficiliora expedienda supersint! Marium enim Maximum compilator per exiguum tantum spatium secutus subito in § 5 deseruit, inde a qua paragrapho res prorsus diversas proferre incohat. Fontes autem, quos adhuc detegimus, perlustranti dubium mihi non est, quin Spartianus ad eundem illum aulicum historicum reverterit, cuius imaginem supra adumbrare conatus sum. Eadem enim signa, quae ibi denotavimus, hic redeunt. Ac primum quidem peculiaris ille referendi color recognoscitur, de quo supra explicatius diximus; haud secus enim atque in V, 1—8 et VI, 6—8 hic quoque scriptor summa diligentia enixus est, ut omnia presse proferret ampliores sententias

1) cf. VII, 2 „invito Hadriano, ut ipse in vita sua dicit, occisi sunt" et IX, 3 „quattuor consularium occisorum, quorum quidem necem in Attiani consilia refundebat, premebatur invidia".

adeo evitans, ut eas reformidare videatur. Deinde nemo infitias ibit omnia, quae hic narrantur, ex animo in Hadrianum benevolentissimo effluxisse, veluti septem auctor paragraphos liberalitati imperatoris praedicandae impendit (VII, 6—12), qua et privatos homines et magistratus sublevasse perhibetur; eiusdem laudatur diligentia in amicis eligendis spectata (VIII, 1), modestia et parsimonia, quantum ad ipsum attinebat; denique honorum mentio habetur, quibus cum multos alios homines in muneribus administrandis comprobatos tum praecipue senatum cumulaverit (VIII, 3—11). Praeter cetera autem in oculos incurrit summam operam auctorem in eo posuisse, ut intima principis consilia et cogitata aperiret ipsiusque verbis illustraret, e. g. VII, 6 „quo magis securitas omnibus roboraretur"; porro VIII, 3 sententia ornatissima imperatori valde accepta inditur; nec minus afferenda est § 10 „execratus est principes qui minus senatoribus detulissent"; VIII, 11 „ne esset secundae sententiae". Quae quamquam nemini sapienti non sufficient, tamen valde errat si quis omnes nos argumentationis numeros absolvisse putet. Restat enim argumentum, quo vel ex animis nimis haesitantibus omnes scrupulos funditus evelli posse spero. Sed id ut promere possim ad caput insequens pergamus oportet.

In c. IX Spartianus iterum ad alium se auctorem applicavit eumque longe diversum a fautore illo Hadriani, quem V, 1—8 et VI, 6—8 et, ut commodum ostendi certiusque probaturus sum, VII, 5—VIII, 11 expressit. Ut a levissima re incipiam, si quis in talibus quaestionibus paululum versatus est consuetudinesque compilatorum affatim novit, satis certo ei documento sunt ipsa tria verba, a quibus c. IX incipit „inter haec tamen", quippe quae sit una ex illis formulis generalibus, quae hi scriptores, ubi ad novum excerptum transgressuris de ratione temporum eis non satis constat, tamquam praeludium praemittere solent. Sed apertius argumentum in pomptu est. Quae enim narrantur, adeo remota sunt ab immodicis laudibus, quibus aulicus ille historicus Hadrianum obruere solet, ut contra amaritudo quaedam atque severitas in percensendis imperatoris factis cernatur, ut maximopere imperator reprehenditur, quod complures provincias a Traiano subactas Parthis cessit; vehementer vituperatur, quod theatrum a Traiano positum destruxit, accusatur denique ingrati in amicos animi, quod Attianum tutorem quondam suum, nec non Similem praefectura se abdicare coëgit, illum vel obtruncare paraverit. Quae cum in propatulo sit longe ab assentatore illo discordare, nunc festino ad reconditiora, quae tamen semel detecta pondere cetera omnia superant. Quod enim IX, 1 auctor tres provincias ab Hadriano barbaris obiectas esse dolet, monendum est, de eadem re iam V, 3 verba facta esse et quidem iudicio plane contrario addito.

Sed etiam gravius est illud argumentum, quod supra promisi dicens, si c. IX excusserimus, iam nemini dubium fore, cuius prata Spartianus VII, 5 VIII, 11 depaverit.

Auctor enim c. IX ¦ narrat Hadrianum amicitiae Attiani pertaesum non modo culpam invidiamque ex nece illorum quattuor consularium exortam in illum coniecisse, sed etiam eo Attianum compulisse, ut facere non posset, quin magistratu praefecti praetorio abdicaret (IX, 4). At quid VIII, 7 nobis persuadetur? Nonnisi permagno Attiani amore Hadrianum commotum esse, ut eum ex praefecto praetoris senatorem faceret, quia id Hadriano, quippe qui senatum quam maxime coleret, summum honoris visum esset. Haec quomodo consociari possunt? Res est facillima expeditu. Re vera Hadrianus eo ipso consilio, ut Attianum praefectura amoveret, eum in senatum legit, cum, ut et aliunde cognitum est et e vit. Pertin. II, 9 [1]) discimus, nemini eodem tempore et praefecto praetorio et senatori esse liceret. Quae, opinor, simplicissima rei explicatio unicuique ultro se offert. Attamen si quis sit, cuius animus iusto magis ad dubitationem inclinet, ei quoque satisfacere possum simillimo exemplo allato. Illum enim modum praefectos molestos amovendi imperatoribus magnopere placuisse, apparet ex vit. Commodi IV, 7 „Paternum (Commodus) instigante Tigidio per lati clavi honorem a praefecturae administratione summovit". — Qua quidem re non modo ea sententia, quam posui dicens longe diversos esse auctores c. VIII ¦ et IX ¦, si potest, etiam magis firmatur, sed etiam Hadriani natura optime illustratur. Quod enim imperator, cum Attiano latum clavum deferret, hunc ambiguum honorem summa verborum pompa prosecutus esse perhibetur, bene id convenit ad ea, quae aliunde quoque de fictis simulatisque principis moribus comperta habemus. Adeo enim non dubito, quin assentator ille Hadriani, si ad externam speciem animum advertimus, quodammodo vera rettulerit, ut contra persuasum habeam, illam rem in c. VIII nobis ita propositam esse, ut princeps eam et coram Attiano finxerit et publice cupiverit accipi, i. e. ut breviter loquar, hac quoque in re consilium perspicitur, quod auctorem huius vitae secutum esse iam supra ostendimus, ut talia divulgaret, qualia Hadrianus ab hominibus credi voluerit.

Sed pergo in aestimando auctore c. IX ¦. Cuius fides semel luculento exemplo probata alia quoque in re mirum in modum enitet. Idem enim, id quod per aliam occasionem iam tetigi, IX, 9 in verbis „summotis his (Attiano et Simili) a praefectura, quibus debebat imperium" tenuem memoriam frandis in successione imperii commissae

1) Pert II, 9: „doluit palam Marcus, quod (Pertinax) senator esset et praefectus praetorio fieri a se non posset" secundum Marium Maximum, ut cognoscis II, 8.

servavit. Habemus igitur, si pretium eius capitis definire volumus, hic fontem Hadriani laudibus non infectum ideoque fide dignissimum et Mario Maximo, nisi fortasse idem ipse est, auctoritate supparem.

Eo magis dolendum est, quod Spartianus praestantem hunc auctorem aspernatus iam in § 6 ad illum libertum Hadriani, sive quis alius fuit, se iterum convertit. Transitus ab uno ad alterum in media paragrapho ita fit, ut pricipium priori fonti, reliqua inde a verbis „Campaniam petit“ alteri debeantur[1]). Argumenta, ut videre licet, eadem sunt, ex quibus iam bis hunc historicum agnovimus: laudes impudenter cumulatae et affectata enuntiatorum brevitas. Quo adde, id quod etiam V, 1—4 notandum fuit, variandi studium in copia verborum synonymorum conspicuum, e. g. in § 7 *frequentavit interfuit visitavit; refovit sublevavit.*

Etiam in altera huius vitae parte, qua itinera Hadriani continentur, compilator eidem aulico historico se adiunxit et praecipue in describendis imperatoris de restituenda disciplina militari meritis eius auctoritate nixus est. Primo enim adspectu pressum illud genus dicendi recognoscimus. Namque ut quam plurima scriptor unum in enuntiatum consociaret, mirum in modum et participiis et sententiis coordinatis usus est; cf. § 2—3 *exercuit . . . imbuens . . . magistrans ... utens ... donans;* § 3—7 *cum ... ambularet ... dirueret ... acciperet ... sumeret ... stringeret ... clauderet ... videret ... caperet ... daret ... faceret ... pateretur ... summoveret ... corrigeret;* § 8 *indicabat, ne quis ... versaretur agebatque, ut ... noti essent ... sciretur;* XI, 1 (laborabat, ut) ... *agnosceret ... ut expleret.* Quae nemo casu facta esse contendet. Rhetorem redolent haec: § 2 *tolerantiae documentis eum imbuens, vitam militarem magistrans; multos praemiis nonnullos honoribus donans; tribunos non favor militum, sed iustitia commendaret.* Notes quoque anaphoram in § 5 *sine auro . . . sine gemmis;* denique attendas in § 8 *aut minor quam virtus posceret aut maior quam pateretur humanitas;* XI, 1 *ne quid ... vel emeret ... vel pasceret.* — Laudibus vero is scriptor adeo non pepercit, ut ommem mihi modum egressus esse videatur. Libenter ei condono, quod in Hadriano summam fuisse tolerantiam (X, 2 et 4) nec non mirabilem et victus (X, 2) et vestitus (X, 4) simplicitatem effert; id quoque ei largior, quod eum maximam restaurandae disciplinae militari operam

[1]) Eius modi contaminationes alias quoque usu veniunt, e. g. in vit. Pesc. Nig. VI, 6, ubi compilator, postquam Marium Maximum secutus, ut solet, externam Pescennii speciem descripsit, subito in media § 6 ad nimium eius laudatorem, ni fallor, Iunium Cordum transgressus cum multa alia tum praecipue continentiam et castitatem Nigri praedicat, quamquam I, 3—5 Mario Maximo auctore contrarium asseveravit. Plures locos hic affere nihil expedit, nisi statim argumenta subiciuntur, id quod ab hoc loco alienum duco.

navasse iactat; sed quod eo usque processit, ut adiceret „si quidem ipse post Caesarem Octavianum labantem disciplinam incuria superiorem principum retinuit“, quasi non ante eum Tiberii, Vespasiani, Traiani fuissent, id summae impudentiae est. — Antiquitatis porro studium apparet ex X, 2, ubi Hadrianus Scipioni Aemiliano et Metello comparatur; ad veterem autem morem auctor respexit et X, 8 „ne quis ... in castris *contra morem veterem* versaretur“ et XI, 2 „ergo conversis *regio more* militibus. — Denique quod X, 2 Hadrianus pacis magis quam belli cupidus fuisse dicitur, nonne memoria tenes, quae simillima exstant V, 1 „tenendae per orbem terrarum paci operam intendit“?

De hac igitur parte, cum cuiusvis generis signa pateant, dubitari nequit; sed etiam c. XI ! § 3, quamquam cum eis quae praecedunt non cohaeret, ex eodem fonte haustam esse certum est, cum ea, quae de Sabina Hadriani uxore eiusque amatoribus profert, compilator se ab ipso principe accepisse urgeat[1]); quamquam, etiamsi id non disertis verbis professus esset, nemo ignoraret unde profecta sint. Tota enim narratio quo consilio comparata sit quidque ei possit tribui, in propatulo est, quippe qua duas simul res imperator consecutus sit: primum illarum abdicationum odium a se avertit, deinde culpam domestici discidii[2]) totam in uxorem conierit.

Quod c. XI ! restat, inde a § 4, cum nihil nisi turpia atque malignitatis plena in Hadrianum profundantur, aliunde originem ducere nemo negabit. Sed ne hanc quidem parvulam particulam ex uno fonte effluxisse Spartianus ipse clare significat. Etenim cum dicat in § 5 „unde non iniocundum est rem inserere etc.“ patet, § 6am non eidem, cui § 4, auctori deberi. Quocirca, ni fallor, Spartianus commotus est, ut in § 7 semper plurali numero uteretur *putant, adiungunt, adserunt, iungentes.* Verum tamen fontes, quos adhuc exhaustos esse ostendi, percensenti mihi ne unus quidem eiusmodi esse videtur, cui merito ista iniungantur. Mariana enim quis talia crediderit! neque minus ea abhorrent ab ignoto auctore c. IX !, quem inimico quidem in Hadrianum animo neque tamen im-

---

1) XI, 3: Septicio Claro praefecto praetorio et Suetonio Tranquillo epistularum magistro multisque aliis, quod apud Sabinam uxorem iniussu eius familiarius se tunc egerant quam reverentia domus aulicae postulabat, successores dedit, uxorem etiam ut morosam et asperam dimissurus, u t i p s e d i c e b a t, si privatus fuisset.

2) De quo conferas quaeso etiam Hadr. 23, 9: „quando quidem etiam Sabina uxor non sine fabula veneni dati ab Hadriano defuncta est“, quae Mariana esse postea videbimus; porro Epitomae, quae Aurelii Victoris fertur, § 10—11: Huius uxor Sabina, dum prope servilibus iniuriis accipitur, ad mortem voluntariam compulsa est. Quae palam iactabat, quam immane ingenium pertulisset, et elaborasse, ne ex eo ad humani generis perniciem gravidaretur.

probo et mendaci fuisse cognovimus. Sed vereor, ne mox in aliam partem incidamus, quae signa fontis haud minus maligni prae se ferat.

Quae cum ita sint, oppido gratulari nobis possumus, quod Spartianus, ut videtur, et ipse improborum istorum sermonum aniliumque narratiuncularum pertaesus ad praestantissimum auctorem diu neglectum revertitur. In c. XII enim Marium Maximum rursus adscitum esse manifestum est ex § 4, ubi is nominatim testis advocatur: „ut verba ipsa ponit Marius Maximus". Ceterum ne in hoc quidem capite deest additamentum aliunde allatum, quod quidem facillime segregatur, XII, 6—8 dico, ubi Spartianus narratione itinerum molestissime intermissa subito in universum et parum distincte („in plurimis locis" „alias", „frequenter") de finibus munitis et a barbaris defensis bellisque hic illic compressis verba facit. Neque deest una ex illis formulis generalibus, quas compilator in transitu adhibere solet, sicuti IX, 1 „inter haec", ita hic „per ea tempora". Fontem autem, quamquam quod Hadrianus solo conloquio Parthicum bellum repressisse dicitur satis blandum scriptorem resipit, nihilominus designare non audeo, cum, quia diversissimae simul nationes uno tenore producuntur, ne id quidem dubitationi exemptum sit, num haec ex uno omnia fonte repetita sint.

Nec minus cauto iudicio utendum est de insequenti capite. In c. XIII enim quamquam descriptio migrationum continuari videtur tamen haud scio an epitomator ad Marium Maximum nondum reverterit. Quamnam enim hanc tu dicis perpetuitatem: e Britannia Hadrianus in Galliam (XII, 1), hinc in Hispanias transgreditur (XII, 3), unde subito in Asiam raptus per insulas in Achaiam provinciam contendens inducitur! Quae foedissima lacuna in media narratione hians licet ex eo quoque derivari possit, quod Spartianus XII, 6 Marium deseruerit, tamen ad verba „Eleusinia sacra *exemplo Herculis Philippique* suscepit (XIII, 1), sive rem spectas sive formam, ultro comparanda se offerunt simillima V, 3 „exemplo, ut dicebat, Catonis" et X, 2 „exemplo Scipionis Aemiliani et Metelli", quae exstant apud praedicatorem illum Hadriani. — Iam vero, ut modus difficultatum expleatur, in § 5 verbis „nec quisquam fere principum tantum terrarum tam celeriter peragravit", quae, ut aut in initio narrationis itinerum aut in fine eis locus est, ita in media descriptione interposita sensum non habent, totum c. XIII dissecari videtur; quae suspicio etiam augetur insequenti particula „denique" (§ 6), quae quid sibi velit, saepius et ab aliis [1]) et a me explicatum est. Unde autem haec altera pars inde a XIII, 6 originem ducat, utrum a Mario Maximo an ex alio scriptore ignoto, in incerto relinquendum est.

---

1) Ruebel p. 4.

At ita si totam narrationem dilaceramus nonne eo fundamento, quo in delineando cursu itinerum nisi sumus, ipsi nos privamus? Sane eis locis, ubi diversae particulae conglutinatae sunt, periculum est, ne quid interciderit. Sed ut re vera sat multa ante XIII, 1 deesse perspeximus, ita XIII, 4/6 filum abruptum quidem neque tamen decurtatum esse videtur. Contra identidem patet ea, quae uno tenore ex eodem auctore excerpta sunt, fide minime indigna esse, veluti is cursus itinerum, qui XIII, 1—4 describitur, per se non habet, in quo offendendum sit; quare ex eo, quod Hadrianus XIII, 1 per Asiam et insulas Athenas pervenisse traditur, Flemmerus non inepte hiatum illum ita explevit, ut principem ex Hispania per Africam in Asiam transgredientem indeque Athenas proficiscentem sibi fingeret[1]. — In altera vero parte inde a XIII, 6, quamvis nonnulla idonea sint, quae suspicionem suscitent — veluti XIV, 2 in enuntiato „moverunt... et Judaei bellum", quid illud „et" sibi velit, non satis liquet, neque habeo, quo explicem „sed" particulam in principio insequentis paragraphi — tamen ea inertiae potius epitomatoris tribuerim, cum res iusto loco atque ordine dispositas esse ex parte quidem Cassii Dionis testimonio probatur. Qua in re non tam id respicio, quod apud utrumque de tumulo, qui vocatur, Pompeii in Aegypto magnificentius instaurato et de morte miserabili Antinoi mentio habetur, quam quod itineris directio et a Dione et a Spartiano eadem significatur. Namque quod Xiphilinus, 69, 11, 1 testatur Hadrianum per Judaeam in Aegyptum transiisse, eundem cursum apud Spartianum quoque agnoscimus: XIV, 1—3 enim de Syria et Judaea agitur, § 4 edocemur principem per Arabiam i. e., ni fallor, Petraeam in Aegyptum contendisse. Videmus igitur auctores in eo consentire, quod Hadrianum per Asiam iter in Aegyptum fecisse tradunt, ideoque etiam quae praeterea apud Spartianum habes, principem Roma in Asiam proficiscentem Athenis substitisse ibique cum alia templa tum Olympieum, quod aiunt, dedicasse, facile credes.

Alia quaestio exoritur de temporum ratione excutienda, quae artius ita definitur, ut quo anno Hadrianus primum, quo iterum Athenis commoratus sit, enucleare studeamus. Qua in re satis diversi sunt viri docti, cum Clinton et Finlay primam Athenis commorationem a. 122 p. Chr., Eckhelius, Flemmerus, Haakhius a. 123 constituunt, Gregorovius autem ad a. 124, Boekhius et Keilius vel usque ad a. 125 descendunt; alter adventus et dedicatio Olympiei vulgo a. 132 p. Chr. statuitur. Proficiscendum est ab eo, quod constat ex inscriptionibus in honorem Hadriani ab Atheniensibus recentem an-

---

1) Librum eius non teneo. Alii aliam sibi viam excogitaverunt neque tamen, quoad inscriptionibus adiuvabimur, ultra meras coniecturas progredi poterimus.

norum rationem coeptam esse. Quam seriem, cuius initium vulgo a. 112 p. Chr., quo Hadrianus etiam privatus ab Atheniensibus archontis munere ornatus est, fuisse putabatur, Dittenbergerus ex eo potius anno, quo Hadrianus primum princeps Athenas pervenerit, incohari certissime demonstravit[1]). Idem e duabus inscriptionibus, quarum altera est in C. J. G. 281, altera, quae catalogum Prytanorum exhibet, a. 1870 Athenis inventa et a. 1872 a Hirschfeldio in „Bullettino dell' instituto di corrisp. arch." 1872 p. 117 sq. publici iuris facta est, probavit primum Hadrianum Athenis versatum esse non post a. 133/34 neque ante a. 124/25. Tum Dittenbergerus, ut videtur, ne longius a ceterorum doctorum virorum sententiis recederet, a. 124/125 primi adventus annum esse existimavit. — Sed duabus aliis inscriptionibus, quas invenies in C. J. G. 735 et 1107, collatis eius sententia mutata est. 735 ita incipit: *οἱ ἐπὶ Τιβ. Κλαυδίου Ἡρώδου Μαραθωνίου ἄρχοντος, τρίτου ἀπὸ τῆς ἐπιδημίας τοῦ μεγίστου Αὐτοκράτορος Καίσαρος Τραιανοῦ Ἁδριανοῦ Σεβαστοῦ*, altera autem hanc habet formulam *τετάρ[του ἀπὸ τῆ]ς πρώτη[ς ἐπιδημίας τ]οῦ [μεγίστου Αὐ]τοκρά[τορος Καίσαρος Τραιανοῦ Ἁδριανοῦ]*[2]). Hoc *πρώτης* quoniam tertio anno non additur, quarto additur, apparet illo anno Hadrianum iterum Athenis fuisse. Atque cum demonstratum sit, primum annum esse aut a. 124/5 aut unum ex proximis insequentibus annis, quartus, quo iterum Hadrianus Athenis fuit, aut a. 127/8 est aut unus ex eis qui proxime insequuntur. Jam autem Dittenbergerus, cum antea primum adventum in a. 124/5 cadere censuisset, a. 125/26 praeferendum duxit, ita ut iterum princeps Athenis versatus fuisse videatur a. 128/9.

Qua coniectura — cur enim ita existimaret is quidem non aperuit — eum proxime ad veritatem accessisse proclive est probatu. Quod enim Spartianus XIII, 6 sq. testatur, Hadrianum vixdum ex Africa Romam reversum ad orientem versus profectum esse, Athenis Olympieum dedicavisse indeque in Asiam transgressum per Syriam in Aegyptum pervenisse, nos e tribus inscriptionibus, quae nobis praesto sunt, tempora satis accurate definire possumus neque, quando Athenis princeps versatus sit, dictu arduum est. Namque cum ex inscriptione in provincia Algerica apud oppidum Constantine inventa, quam Renierus publici iuris fecit[3]), probabile fiat, imperatorem

---

1) Hermes VII, p 213 sq.

2) Supplementa, cum ex primo versu pateat, quot litterae in eis, qui sequuntur, ab utraque parte perierint, dubia non sunt.

3) L. Renier, Inscr. de l'Algérie no. 5, de qua Waddington ad inscript. Megaric. n. 47: (c'est) un ordre du jour adressé par l'empereur Hadrian aux troupes auxiliaires de l'armée d'Afrique, lorsque Q. Fabius Catullinus était légat impérial de cette province. Or ce personnage, qui fut consul ordinaire en 130, dut quitter sa province vers le milieu de l'année précedente. Mais c'est en automne qu'Hadrien visita l'Afrique, car Spartien nous apprend (Hadr. c. 22) qu'il plut

autumno anni 128 in Africa fuisse, ex alia [1]) autem discamus anno 130 aut certe non multo ante eum Syriam permigrasse, ex tertia[2]) denique statuae Memnonis incisa appareat a. d. XII kal. Dec. a. 130 p. Chr. eum in Aegypto versatum esse, e collatis hisce tribus inscriptionibus colligimus iterum Hadrianum Athenas venisse circiter a. 129. Primum igitur Athenis commoratus est c. a. 126.

Sed haec hactenus. Redeamus ad Spartianum. Inter ea, quae in Aegypto acciderunt, etiam mors Antinoi, quem puerum imperator in deliciis habuit mortuumque multum honoravit, commemoranda fuit; itaque non dubito XIV, 5 „Antinoum suum, dum per Nilum navigat, perdidit, quem muliebriter flevit" eidem, cui antecedentia, fonti assignare. Contra de § 6 et 7, ubi rumorum de miraculosa Antinoi consecratione et de libidinoso Hadriani amore pervulgatorum mentio inicitur, nonnulla etiam de cultu illius pueri adduntur, num idem profitear valde ambigo, cum his ipsis paragraphis sensim ad aliam partem transducamur et saepius nos, ubi transitus fit ad alium fontem, parvula frusta interposita inveniamus [3]).

XIV, 8 enim iam novum excerptum secundum alium fontem confectum exordiri, inde facile cognosces, quod Spartianus narrationem itinerum nondum ad finem perductam hic abrumpit et potius, quas Hadrianus artes calluerit quibusque fuerit moribus, fuse exponere ingreditur. Quae propositi mutatio ut, quamvis lenis sit transitus, nonnisi somniantem lectorem effugere potest, ita nemo non animadvertit huius novi fontis proprietatem in principio excerpti maxime conspicuam, dico cumulum superlativorum; attendas enim c. XIV,

---

dans cette province, où il n'était pas tombé d'eau depuis 5 ans, le jour de son arrivée. Il faut donc placer la date de l'ordre du jour, dont il s'agit, et du séjour d'Hadrien en Afrique dans l'automne de l'an 128 au plus tard.

1) Le Bas et Waddington, Voyage p. 2585. Est bilinguis, et Syriace et Graece composita, in honorem civis cuiusdam Palmyreni, qui in Hadrianum per Palmyram iter facientem officiosum se praebuerat. Annus Syrio contextu datur 442 Seleucidarum, qui incipit a kal. Oct. 130. Quam inscriptionem cum post principis transitum neque tamen multo post exaratam esse necesse sit, sequitur, ut Hadrianus aut initio anni 130, id quod mihi magis placet, aut, ut Waddington voluit, a. 129 in Syria versatus sit.

2) Est in C. I. G. n. 4727, ad quam alia inscriptio conferenda est n. 4725 signata. Sunt versus Memnonis statuae insculpti, quibus poëtria quaedam e comitatu Sabinae Augustae testatur et Hadrianum et Sabinam Memnonem sonantem audivisse; altera 4727 edocet, Sabinam die vicesimo quarto mensis Atyr anni quinti decimi imperii Hadriani i. e. a. d. XII kal. Dec. a. 130 p. Chr. statuam visisse.

3) Huius usus exempla habes IV, 8—10; XI, 4—7 et infra, ut ostendam, XVI, 7—9. Res satis mira ita expedienda mihi videtur: Spartianus auctoris alicuius pertaesus, sed dubius etiam, cuinam se applicet, fontes suos perlustrat et per occasionem hinc illinc aliquid desumptum in usum suum convertit, donec idoneum sibi elegit auctorem.

§ 8 *nimium studiosissimus peritissimus,* § 9 *nimius,* § 10 *peritissimus scientissimus;* sed etiam in c. XV nonnullos habes: in § 2 *amicissimos summis,* § 5 *famosissimis,* § 10 *promptissimus peritissimus,* § 12 *iocundissimum.* Inde etiam plus lucramur. Si enim eadem observatione fretus et extremum c. XIV et totum c. XV eidem auctori deberi contenderim, vix, opinor, quisquam abnuerit. Quae tamen non sola ratio est, cui confido. Videamus modo accuratius, quid hic scriptor de Hadriano sentiat. Qua in re proficiscendum est a XIV, 11, ubi eius natura ita describitur „idem severus laetus, comis gravis, lascivus cunctator, tenax liberalis, simulator verus, saevus clemens et semper in omnibus varius". Hic quamquam imperator neque bonus natura neque funditus malus fuisse dicitur, sed contraria iuxta ponuntur, tamen tota, quae existit imago, minime blanda est. Neque is, qui eam depinxit, aliam proponere voluit. Mobilitas enim illa atque inconstantia animi, quae eius propria fuisse dicitur, quam funesta atque perniciosa fuerit, idem scriptor — et hoc quidem vinculo haec duo capita XIV et XV arte coniunguntur — in capite insequenti accuratius demonstrare conatur. Namque ut Hadrianus comem se et affabilem amicis praestitit, ita sive suspicione sive ira semel suscitata idem crudelissime in eos consuluit, adeo ut nonnullos ad voluntariam mortem compelleret, alios et ipse mori cogeret. Eundem ambiguum principis animum scriptor etiam in eo conspicit, quod cum et ipse artibus atque litteris magnam operam daret professoresque undique arcessitos et honoraret et ditaret, tamen quocunque modo eos illusit maleque mulcavit[1]). — Denique quod tertio loco exsecuturus sum, idem nonnihil facit ad fidem scriptoris aestimandam. Tota enim narratio, sive rem spectamus sive elocutionem, eodem delibuta est colore rhetorico. Unum, quod huc pertinet, iam supra praecepi, abundantiam dico superlativorum, unde studium exsuperationis elucet. Sed vide porro, quantopere is scriptor oppositiones amet; in tota Hadriani imagine adumbranda antitheseos figura usus est. Exemplum insigne habes XIV, 11 *severus laetus, comis gravis etc.,* quem locum iam supra exscripsi; in c. XV, 1 *amicos ditavit etc. . . . idem tamen;* ibid § 10 *quamvis . . . tamen;* neque omittendum est XV, 1 *(ditavit) . . . non petentes, (cum) petentibus (nihil negaret).* Adde, quaeso, asyndeta trimembria[2]) haece: XIV, 8

1) Enimvero id potius aemulationi atque invidiae tribuendum est. Omnino ea oppositio, qualem apud Spartianum habemus, aliquantum detorta est, neque tamen dubium est, qualis restituenda sit.

2) Cuiusmodi asyndeta alias quoque occurrunt e. g. in hac ipsa vita, XX, 11 'scripsit dictavit audivit', in vit. Ant. phil. III, 5 'aditu hostiis floribus', ibid V, 8 'agere dicere cogitare'; ibid XXVI, 3 'stadiis templis locis'. Porro cf ex Epitomae, quae Aurelii Victoris fertur, vit. Hadr., quae etiam aliis in rebus mirum in modum cum hac parte Spartiani conspirat, haec: in § 5 'locos negotia

arithmeticae geometriae picturae (peritissimus) et XV, 10 asyndeton perquam mirum *risit contempsit obtrivit,* concedes Spartiani auctorem admodum in ludis rhetoricis versatum esse.

Nihilo setius, quamquam quae commodum monui, vix idonea sunt, quibus auctoritas huius scriptoris augeatur, tamen haud scio an fide fortasse non tam indignus habendus sit quam primo adspectu videtur. Confitendum enim est, similem Hadriani imaginem a Cassio quoque Dione depictam esse.

Iam si pergimus, eadem signa, quae XIV, 8—10 et XV notavimus, quamquam rara etiam in c. XVI redeunt. Cuius capitis initio „famae celebris Hadrianus tam cupidus fuit, ut libros vitae suae scriptos a se libertis suis litteratis dederit iubens, ut eos suis nominibus publicarent ... Catachannas libros obscurissimos Antimachum imitando scripsit" — agnoscis animum ad perstringendum Hadrianum admodum propensum. Ibique etiam superlativus usu venit in § 2 *libros obcurissimos,* qui, etiamsi solus exstat in hoc capite, tamen ex eis est, qui nisi ex consuetudine scriptoris vix explicari possunt, cum satis sit dicere *libros obscuros.* Duo denique, quae illius fontis propria esse dixi, et oppositionum affectationem et vituperandi studium, coniuncta habes in § 6 „Ciceroni Catonem, Vergilio Ennium, Sallustio Coelium praetulit eademque *iactatione* de Homero et Platone iudicavit". Quae si coniunctim considero, non temerarie mihi contendere videor eundem fontem atque XIV, 8—XV, 13 etiam XVI, 1—6 expressum esse.

Aliter sane de reliquo c. XVI iudicandum est. Si in eo est, ut Spartianus auctorem suum deserat, priusquam alii fonti per longius spatium se adiungit, nonnulla, quibus ante narrata ex parte repetuntur, ex parte supplentur, interponere solet. Ita hic quattuor id genus frustula distinguuntur, quae inter se minime cohaerent, primum in § 7, alterum in § 8, tertium in § 9, quartum denique comprehendit § 10 et 11. Quorum origo, ut plerumque accidit, in obscuro latet, una excepta § 7 „mathesin sic scire sibi visus est, ut sero Kalendis Januariis scripserit, quid ei toto anno posset evenire, ita ut eo anno quo perit usque ad illam horam, qua est mortuus scripserit, quid acturus esset", ubi facile Marium Maximum agnoscis collata vit. Helii c. III § 9, ubi haec legis „fuisse enim Hadrianum peritum matheseos, *Marius Maximus* usque adeo demonstrat, ut eum dicat cuncta de se scisse, sic ut omnium dierum usque ad horam mortis futuros actus ante perscripserit". De reliquis quamquam vix operae pretium sit coniecturas facere § 10—11, quippe

milites', § 8 'varius multiplex multiformis'; ibid. 'continentiam facilitatem clementiam'; § 9 'seriis ioco maledictis'. Quae non fortuita, sed studium in eis positum esse, ex eo manifestum est, quod pleraque satis inepta sunt.

quae benevolenter in Hadrianum scriptae sint, fortasse iam eidem auctori debentur, quem Spartianus per quinque aut septem primas paragraphos capitis insequentis secutus est.

Prior enim pars c. XVII procul dubio ex uno fonte hausta est eoque imperatori, ut videre licet, perquam favente, ita ut ambigam, num ea historico illi aulico tribuam, praesertim cum idem, quod illic, concise dicendi genus hic observatum inveniam.

Iterum ad alium fontem aut XVII, 6 aut XVII, 8 Spartianus se convertit vel potius, ni fallor, redit ad eundem, quem XVI, 6/7 deseruit. Etenim quae hic narrantur, ex animo in principem minus amico effluxisse nemini latebit; e. g. XVII, 8 perstringitur ostentatus ab Hadrianò populi amor; ne cupiditatis quidem peregrinationum sine reprehensione quadam mentio inicitur; exemplum vero luculentissimum hoc est: cum XVII, 5 Spartianus glorianter scribat „omnes reges muneribus suis vicit", longe aliter de hac vincendi arte iudicat XVII, 10, ubi legimus „regibus multis plurimum detulit, a plerisque vero etiam pacem redemit, a nonnullis contemptus est". — Praeterea communes haec habet particula cum priore illa XIV, 8—XVI, 6 etiam superlativos: in § 8 *iactantissimus*, § 10 *plurimum, plerisque*, § 11 et 12 *ingentia*. Ad idem auctoris vitium pertinet incredibilis munerum exaggeratio, XVII, 11—12. — Denique hic quoque studium peculiaris elocutionis elucet ex hac inepta atque absurda oppositione (§ 10): „multis plurimum detulit, etc.", quem locum iam supra exscripsi; adde huc § 11 „multis ingentia ... sed nulli maiora etc.". — Dubitari forsitan potest, ut iam in numeris indicandis haesitavi, de XVII, 6—7, ubi quae de ioco quodam Hadriani narrantur, cum neque favoris neque malignitatis sint, difficile est dictu, quo melius referantur. Equidem ego lepidam illam narratiunculam cum eis, quae sequuntur, coniungere maluerim, cum quae similia XV, 12—13 narrantur ad eundem fontem pertineant.

Largius rursus excerptum exorditur a c. XVIII perque totum c. XIX continuatur. Quae coniungenda esse dictio parilis demonstrat; idem enim studium brevium et concisarum sententiolarum utrobique observare potes. Ista autem ex re nonne auctorem iamdudum nobis notum recognoscis? Adde quod praeter pressum genus dicendi cetera quoque, quae certi scriptoris propria notavimus, omnia recurrunt. Unaquaque paene sententia laudes imperatoris auribus nostris inculcantur, qua quidem in re id premendum est, quod XVIII, 1, ut saepius factum est, maxime urgetur, quantopere Hadrianus senatus auctoritatem respexerit. Denique quod XIX, 6 „fabulas omnis generis *more antiquo* in theatro dedit", Hadrianus veterum aemulus praedicatur, probe scimus, quisnam ille sit auctor, qui morem antiquum semper in ore habeat (cf. V, 1; X, 8; etiam V, 3 et

X, 2). Omnibus igitur ex partibus convincitur candidissimus ille laudator imperatoris, quem iam supra saepius compilatum esse ostendimus.

Contra XX—XXI, 4 ex fragmentis hinc illinc, ut fors tulit, conquisitis nulloque ordine dispositis constat; diversissima enim permiscentur: XX, 1 comitas imperatoris celebratur; § 2 litterarum studia laudantur; contra § 3 haud blande de vera Hadriani natura agitur; § 4 de oppidis conditis ceterisque operibus ab eo exstructis, § 6 de fisci advocato instituto, § 7 de immensa memoriae facultate verba fiunt; § 8 ioca narrantur; § 9—11 iterum memoria eius tenacissima, § 12 studium equorum canumque, § 13 venandi studium commemoratur; denique effertur eius severitas in iudices (XXI, 1) et in libertos (XXI, 2—4), quibus omnia principum vitia imputantur. — Quae cum incogitanter collecta sint, mirum non est, haud pauca iterari, quae aliis locis leguntur: de operibus conferas XIX, 9, de advocato fisci VII, 5; de venandi studio XXVI, 3; semel in ipso c. XX Spartiano accidit, ut minimo intervallo interposito de eadem re repeteret, XX, 7 — XX, 9—11. — Duo frustula ad Marium Maximum redire cognoscimus altero loco XX, 3 Spartiano ipso eum nominante, altero XXI, 4 comparata vit. Hel. c. V § 5; XX, 11 auctori XIV, 8, XVI, 6 usurpato deberi videtur (cf. p. 18 n. 2).

Continuum rursus excerptum incipit a XXI, 5. Attendas modo superlativos in § 9 *nimie multum, liberalissimus,* in § 13 *amicissimos,* porro affectatum pressum genus dicendi, denique quod cum multa alia laudantur, tum non minus quam V, 1 Hadriani pacis amor, quo commotus bella aut omnino evitaverit aut, ut scriptoris verbis utar, silentio peregerit, non cunctaberis haec ad aulicum illum historicum revocare.

Iam vero epitomator omnes fontes percurrisse et, quae idonea et commemoratu digna duxit, excerpsisse videtur, cum statim in c. XXII iterum in rudem indigestamque collectaneorum molem incidamus, quae hic singulatim enumerare supersedeo, cum totum mihi caput exscribendum esset.

Quae restant — iam enim ad ultimam huius vitae partem penetravimus — si singula nunc omitto, unum continuum excerptum efficiunt, quo extrema imperatoris tempora apte describuntur: Hadrianus peregrinationum laboribus exhaustus morboque implicitus cum de successore sollicitus amicos perlustraret, idoneum diu nullum invenit suspicioneque suscitata in multos crudeliter saevit (c. XXIII). Denique Ceionio Commodo, quem primum adoptavit, mortuo Arrium Antoninum in filii loco recipiens iram omnium excitat eorum, qui sibi imperium speraverant. Itaque ultimo vitae taedio affectus, simul

vehementissimis doloribus cruciatus Baiis diem supremum obiit non sine multorum gaudio (c. XXIV—XXV).

Iam de fonte huius partis si quaerimus, tutissime forsitan ita progrediamur, ut prius ostendamus, inter quos eorum scriptorum, quorum usum adhuc statuimus, optio detur. Primum igitur omnino cogitari nequit de fautore illo Hadriani, ut ex rebus narratis satis superque apparet. Sed etiam mordacem illum obtrectatorem, quem Spartianus XIV, 8—XVI, 6 expressit, hic excludamus necesse est, cum de sorte Catilii Severi et de misero Serviani exitu, quae iam XV, 7—8 commemorata sunt, in hac extrema parte XXIV, 6—7 et XXIII, 8 repetantur. Itaque si breviora incertae originis fragmenta et ignotum illum auctorem c IX ¦ omittimus, restat solus, cui haec tribui possint, Marius Maximus. Et re vera non desunt, quae hanc sententiam tueantur. Principio enim c. XXIII ¦ peragratis sane omnibus orbis partibus cum ad descriptionem itinerum in c. XIV subito abruptam reducamur, in promptu est conicere utrobique eundem fontem epitomatori praesto fuisse. Sed cum illa pars pro certo Mario adsignari non possit, bene evenit, quod hic vestigia eius non penitus obruta sunt. Primum enim, si XX, 3 „Marius Maximus dicit eum (sc. Hadrianum) natura crudelem fuisse et idcirco multa pie fecisse, quod timeret, ne sibi idem, quod Domitiano accidit, eveniret“, in memoriam revocaveris, nonne quae XXIII, 7 legis „et omnem quidem vim crudelitatis *ingenitae* eo usque repressit etc.“, dilucide eundem tibi auctorem demonstrare videntur? Quid quod XXV, 4 Marius Maximus nominatim testis affertur! Porro nemo in c. XXV, 11—XXVII, 4, ubi morte principis enarrata nonnulla adiunguntur, non agnoscit Marianam consuetudinem: primum quamdiu vixerit quotque annos imperaverit traditur; deinde de externa corporis specie (XXVI, 1), de consuetudinibus studiisque quibusdam (XXVI, 2—4), tum de operibus ab eo exstructis nonnulla adduntur; XXVI, 6—10 signa, quibus mors Hadriani indicata esse credebatur, referuntur, denique c. XXVII honores defuncto imperatori decreti finem huius vitae faciunt. Idem ordo, ut tabella a Dreinhoefero[1]) confecta demonstrat, in unaquaque vita e Mario hausta retentus est; si minus, plerumque alia quoque adsunt, quae a Mario abhorreant et alium fontem indicent[2]). — Denique argumentum afferri potest, quod ut nobis paremus, emendatione opus est. XXV, 11 enim Hadrianum 72 annos vixisse omnes codices consentiunt; sed, ut iam Isaac Casaubonus

1) Dreinhoefer p. 9.

2) Unum fortasse in hac parte scrupulum iniciat, quod et de litterarum studiis et de operibus tam exiliter referatur; sed in eo nihil haerendum est, cum de his rebus iam in eis, quae antecedunt, capitibus fusius se egisse ne Spartianus quidem oblivisci potuerit; quare non mirum est eum hic iteratione supersedisse.

animadvertit, falso ille numerus traditur et vero totis decem annis maior est, ut facile testimoniis et Cassii Dionis [1]) et Eutropii [2]) et Aurelii Victoris [3]) evincitur. Cum autem incredibile sit, eum, qui et menses et dies accuratissime servavit — in his enim congruit cum Dione — in annis indicandis tam vehementer erravisse, patet hic librarii cuiusdam peccatum statuendum esse, qui pro LXII scripsit LXXII. Iam vero cum diligenti ratione instituta numerus a Spartiano in c. XXV, 11 proditus spatium, quo dies funebris (XXV, 6) a natali die (I, 3) secundum Marium Maximum definito distat, totum expleat, nonne haec consensio tali in re non fortuita certissimo nobis argumento est utroque loco Marium Maximum usurpatum esse? [4])

Sed etiamsi extrema pars huius vitae sicuti initium signa Marianae originis prae se ferat, tamen hic quoque aliena nonnulla immigraverunt, quae si Marii narrationem recuperare volumus, exturbanda sunt. Primum quidem, id quod vix commemorari necesse est, XXIII, 2, ubi de Serviani morte agitur, verba „(quem postea), ut diximus (mori coëgit)“ a Spartiano addita sunt, cum Marius de hac re nondum rettulerit, sed tantum auctor c. XV[1]. Neque minus XXIV, 3—5 ab ipso compilatore nescio unde, fortasse de memoria, Marianae narrationi inserta sunt; quin etiam in aperto est, quid Spartiano causae fuerit haec proferendi. Namque cum Marius XXIV, 1 satis habuisset scribere „Arrium Antoninum, qui postea Pius dictus est“, nimirum quod pro consuetudine sua de ea re non in Hadriani vita, sed suo loco i. e. in vita Antonini Pii explicatius dicere voluit, illa verba epitomatori ansam praebuerunt doctrinae suae ostentandae; qua autem fuerunt isti homines stultitia, Spartianum fugit se Mario Maximo funditus contraria proponere. Attulit enim XXIV, 3—5 ad explicandam appellationem Pii tres rationes, ita tamen ut ipse primam approbare videatur. Harum explicationum, quarum numerus facile augeri potest vit. Ant. Pii c. II paragraphis 3—7 adscitis, quaenam praeferenda sit, hic disceptare mihi cordi non est, sed satis habeo demonstrare unam certe et eam quidem, quam Spartianus amplexus est, cum Mario pugnare. Etenim cum Antoninus ideo Pius vocatus esse perhibeatur, quod socerum aetate fessum manu sublevaverit, eadem autem ex re, ut e vit. Pii IV, 2 et Aurelii Victoris vit. Hadriani § 11 discimus, causa adoptionis a multis de-

1) Cass. Dio LXIX, 23, 1.

2) Eutrop. VIII, 7.

3) Aurel. Vict. XIV, 12; Epit. XIV, 15.

4) Discrepantia duorum dierum, quae inter Cassium Dionem et Marium intercedit ex eo explicanda videtur, quod Dio menses XXX dierum intellexit ideoque in computandis mensibus Iannario, Martii, Maio tricesimum primum diem separatim notavit, diem natalem autem non respexit, ita ut numerus duobus augeretur.

rivata sit, profecto patet illud ante adoptionem accidisse eiusque narratiunculae auctorem credidisse cognomine Pii Antoninum aut ante adoptionem aut certe una cum adoptione ornatum esse. Id autem quomodo conciliari potest cum disertis verbis Marii Maximi, ex quibus, si eius, ut par est, auctoritati nos addicimus, sequitur, illud nomen Antonino non ante, sed post adoptionem atque, ni fallor, post mortem Hadriani demum inditum esse? Itaque non solum additamentum eruimus, sed etiam ad enodandam quaestionem intricatissimam, quae de vera Pii cognominis explicandi ratione saepius quidem instituta, sed nondum absoluta est, aliquid saltem lucrati sumus. — Denique etiam XXV, 5—10 a Mario Maximo abhorrere in plano est. Primum enim, cum iam de morte atque sepultura principis verba facta sint, ineptissime compilator ad necem Serviani narrandam revertitur. Adde huc quod Marius Maximus de ea re iam XXIII, 8 rettulit. Unde parvulum hoc excerptum repetitum sit, quamquam pro certo affirmare non audeam, tamen propter versus inditos animus inclinat, ut haec ad auctorem c. XIV, 8—XVI, 6 referam, quae sententia eo munitur, quod utrobique de Hadriano haud leniter iudicatur.[1])

Iam cum ad finem huius disquisitionis deducti simus, haud superfluum mihi videtur, quae adhuc profecimus, paucis comprehendere et in simplicem tabellam redacta repetere. Tres igitur contigit fontes distinguere, quorum usurpatus est

1) *Marius Maximus:* I—IV, 5; VII, 1—4; XII, 1—5; XXIII—XXVII, scilicet exceptis parvulis additamentis, quae infra colligam.

2) *Historicus aulicus,* fortasse unus ex illis Hadriani libertis, quorum XVI, 1 mentio fit. V, 1—8; VI, 6—8; VII, 5—VIII, 11; IX, 6—XI, 3; XVIII et XIX; XXI, 5—14.

3) *Ignotus scriptor:* XIV, 8—XVI, 6; XVII, 6 aut 8—12.

Ex reliquis excerptis, quamquam certa argumenta desunt, tamen

1) Mario Maximo IX, 1—6; IV, 10.

2) Historico illi aulico XIII, 1—4; XVII, 1—5.

3) Ignoto tertio fonti: aut XI, 4 aut XI, 6; XXV, 8—10; XX, 11 tribuerim.

Incertae originis sunt paene omnia illa frustula per totam vitam disseminata: I, 9; IV, 2—3; IV, 6—7, 8, 9; V, 9—VI, 5; XII, 6—8; XIII, 6—XIV, 7; XVI, 8, 9, 10—11; XX—XXI, 4 exceptis XX, 3 et 11 et XXI, 4; XXII; XXIV, 3—5.

---

1) Haereat fortasse aliquis etiam in eo, quod Spartianus, postquam XXIII, 10 scripsit „tunc Ceionium Commodum .... adoptare constituit", in sequente paragrapho satis mire exorditur „adoptavit ergo Ceionium Commodum"; equidem ego haud scio an id non contaminationi cuidam, sed potius inertiae compilatoris tribuendum sit; narratio certe nulla ex parte turbatur.

II. De vita Septimii Severi.

Postquam in vita Hadriani caliginem, quam Aelius Spartianus fontium curiosis ob oculos effudit, dispellere atque qua arte in fabricandis libellis suis usus sit uno exemplo illustrare contigit, facilius forsitan videatur iudicium de vita Septimii Severi eiusdem, ni codicum testimonium nos decipit, epitomatoris, praesertim cum ad hanc vitam aggredientibus praeter Muellerum et Dreinhoeferum Ruebelii quoque dissertatio nobis auxilio sit et Hoefneri, viri doctissimi, qui recentissime in his quaestionibus versatus est, liber de Lucio Septimio Severo compositus[1]). Inter quos quem ultimo loco laudavi cum saepius a priorum via declinavit tum quaestionem omnium gravissimam movit vel potius redintegravit, quam prius quam Severi vitam excutere conemur absolvi necesse est.

Cum enim Muellerus auctoritatem fidemque Marii Maximi valde laudibus extulerit, contra Hoefnerus asperrimus Marii Maximi obtrectator exstitit et Muelleri iudicium redarguere conatus est. Quam controversiam uti, priusquam pergamus, accurate tractemus, et eius, qui hanc quaestionem excitavit, monet auctoritas et ipsius rei desiderat gravitas, cum non modo ad Severi vitam, sed omnino omnium imperatorum inde ab Hadriano usque ad Heliogabalum historiam vere narrandam, quid de Mario Maximo sentiamus, plurimum intersit, veluti quam multa, si illius scriptoris auctoritas nihili est, incerta relinquenda sint, Hoefnerus ipse luculenter docuit[2]). Itaque nulla mora ea, quae vir doctus ad labefactandam fidem Marii Maximi protulit, diligenter examinemus atque ponderemus.

Ac primum quidem quod Hoefnerus Ammiani Marcellini iudicium adhibuit[3]), qui XXVIII, 4, 14 scribit: „Quidam detestantes ut venena doctrinas Iuvenalem et Marium Maximum curatiore studio legunt, nulla volumina praeter haec in profundo otio contrectantes“, habebat ille quidem, cur Marium despiceret, quippe qui non historias, sed

---

1) Untersuchungen zur Geschichte des Kaisers L. Septimius Severus und seiner Dynastie. Bd. I. Giessen 1875.

2) cf. e. g. eius libri p. 97; 98/99, 118, 126 etc.

3) p. 11.

vitas singulorum imperatorum easque non tam docendi quam delectandi causa perscripsisset, quo necessario factum est, ut permulta levidensia atque pusilla libellis suis inderet, gravia haud pauca omitteret, neque tamen ideo ea, quae protulit, reiicienda sunt. Omnino nihil moror Flavium Vopiscum [1], cum is, quo fuerit ingenio atque iudicio, satis superque ostenderit in libellis suis.

Ut igitur ad graviora transeam, primum in vita Didii Iuliani narranda Marium Maximum fide se indignum praestitisse censet Hoefnerus, cum mirum in modum Iuliano favisset, adeo ut, quanti ille imperium a praetorianis emisset, ne eius famae officeret, suo loco, quo commemorare debuit, reticeret et omnino illum certatim cum Sulpiciano purpuram licitum esse silentio praeteriret[2]). Quae mihi iniuria Hoefnerus Mario Maximo obiecisse videtur. Falsus enim est, quod Muellerum secutus dicit illum a Didio Iuliano stetisse, cum Ruebelius, cuius Hoefnerus ipse dissertationem manu versabat[3]), contrarium factum esse locis allatis affatim probaverit, (cf. vit. Iul. II, 2; II, 6; III, 7; V, 8; VI, 1; VI, 2; VI, 5; VI, 6; VI, 7; VII, 9; VIII, 8) quibus Marius in Didium Iulianum, quod indigne et pueriliter se gessisset, vehementer invectus est; duas igitur illas partes, quae laudibus huius imperatoris redundant, III, 8—IV, 10 et IX, etiamsi haud scio an Cordo tribui non possint, tamen suo iure Ruebelius a Mario Maximo abiudicavit[4]). Deinde quomodo Hoefnerus, quod in vit Iul. c. II, § 6 Marius summam pecuniae, qua Iulianus imperium sibi comparasset, non accurate indicavisset, id in favorem eius factum esse contendere potuerit, omnino non intellego, cum quod legimus „Iulianum ex muro *ingentia* pollicentem" id multo mihi acrius dictum esse videatur, praeterea paululo tantum infra (III, 2) diserte tradatur, vicena quina illum milia militibus promisisse, id quod Dionis testimonio firmatur[5]). Cum porro, ut ipse Hoefnerus monuit, in eo quoque Marius Maximus cum Dione congruat, quod narrat, Iulianum praetorianos, ut Sulpicianum socerum Pertinacis ab ipsis interempti caverent, monuisse seque Commodi memoriam restiturum esse promisisse, non video, quid ei opprobrari possit; res enim ipsas Marius Maximus recte rettulit et, quod Hoefnerus putat praetorianos non metu soceri Pertinacis, sed potius pollicita-

1) Attulit Hoefnerus Flavii Vopisci verba, quae exstant in vit. Firmi I, 2—3: „Quid Marius Maximus, homo omnium verbosissimus, qui et mythistoricis se voluminibus implicavit .... atque contra Trebellius Pollio ea fuit deligentia, ea cura in edendis bonis malisque principibus", ex qua oppósitione Hoefnerus conclusit, illis virtutibus Marium Maximum carere.

2) p. 7—9.

3) cf. p. 216, a. 82.

4) p 49 sq.

5) Cassius Dio LXXIII, 11, 5; nam 6250 drachm. = 25,000 sest.

tionibus Iuliani commotos esse, id mihi non tam ad fidem Marii Maximi quam ad iudicium pertinere videtur[1]).

In vita Pertinacis Hoefnerus inter se pugnare existimat IV, 4 „tunc Pertinax interficiendi Commodi conscientiam delatam sibi ab aliis non fugit“ et IV, 10 et XV, 8, ubi Pertinacem magnopere imperium horruisse edocemur. Equidem ego confiteor me nescire, cur illa consociari nequeant. Etsi enim imperator tam mutabilis tamque periculosus, ut fuit Commodus, Pertinaci quoque non tam gratus fuit, ut eum a coniuratis defenderet, inde non sequitur, ut ipse imperium appetiverit[2]). Accedit quod Capitolinus sive qui alius illam vitam conscripsit disertis verbis premit, Pertinacem coniurationem illam non ipsum fecisse sed tantum non esse aspernatum. Ceterum fac illa repugnent inter se, nonne Hoefnerus satis mira tibi uti videtur ratione, cum prorsus se credat Muellero contendenti totam illam vitam Pertinacis e Mario Maximo pendere, quamquam non firmum esse hoc fundamentum in vita Septimii Severi tractanda ipse affatim expertus est et in prooemio[3]) statim pronuntiavit, Muellerum haud raro plus quam aequum esset Mario Maximo assignavisse. Atque in eandem illum partem etiam in vita Pertinacis excutienda peccavisse discere potuit ex eiusdem Ruebelii dissertatione magna cum sagacitate composita[4]).

Porro Hoefnerus quaerit[5]), quomodo conciliari possint haece: „si quidem, ut Marius Maximus dixit, in vita Severi, nobilem orientis mulierem Severus adhuc privatus et *non magni satis loci* duxit uxorem“ (Lampridius in vit. Alex. Severi V, 4) et „natus est Geta ex Iulia, quam Severus uxorem duxerat isque privatus, sed *iam optimi in re publica loci.* Quam discrepantiam optime e conexu explicari iam Muellerus mihi persuasit[6]), quamquam Hoefnerus etiamnunc haesitat. Sed utut de illa re iudicamus, id certum est, Marii Maximi nullam esse culpam. Neque enim ille aut vitam Getae aut Alexandri Severi litteris mandavit, neque in vita Septimii Severi, ubi illa narravit[7]) aut „optimi“ Severum tum fuisse „loci“ aut „non satis magni“ tradidit; namque cum, ut etiamnunc videre licet, narraret illa tempestate eum legatum in provincia Lugdunensi fuisse,

1) vit. Did Iul. II, 6 = CDio LXXIII, 11, 6. Ceterum Cassius quoque testatur, timorem, ne Sulpicianus necem generi ulcisceretur, non nihil apud praetorianos valuisse, ut Iulianum mallent.

2) Aliam rei explicationem proposuit Ruebelius in diss. p 48 et 49.

3) p. 6.

4) p. 43 sq.

5) p. 10.

6) Büdinger III, 80, n. 1.

7) In vit. Sept. Sev. III, 8—9.

quid addere debuit? Itaque verba illa Marii Maximi epitomatoribus, non dico scriptoribus historiae Augustae, quam nunc tenemus, sed eorum fontibus, qui et ipsi ex Mario Maximo dependerunt[1]), imputanda sunt.

Sed multa alia restant in vitis Septimii Severi et Caracalli, veluti Hoefnerus Marium Maximum increpuit, quod ignoravisset Iuliam matrem, non novercam Caracalli fuisse[2]), et quod impudenter Bassianum stupri cum Iulia facti insimulavisset[3]); porro ea, quae in vit. Sev. II, 1—2 retulisset, funditus esse conficta[4]) maligneque Severo adspersa, sibi ipsi autem Marium non constare, cum Caracallum, qui a. 188 in provincia Lugdunensi natus sit, tum cum pater in Germaniam proficisceretur, quinquennem puerum fuisse dicat[5]), nec minus, quod V, 5 persuadere nobis conetur, invitum Severum se imperatorem vocari passum esse, cum ante confessus sit, iamdudum illum ominibus et oraculis fretum imperium speravisse[6]); deinde Marium Maximum et in vita Iuliani et in vita Severi in describenda vita privata munerum ordinem perturbavisse putat[7]); denique, id quod gravissimum est, in rebus geographicis adeo illum rudem fuisse, ut Carnuntum, caput Pannoniae, in Germania situm esse crederet[8]), id genus alia, quae omnia, sicuti facultas dabitur, conabor diluere.

Priusquam ipse ad rem accedam, paucis, quae adhuc prolata sunt, comprehendam. Ac primum quidem Muellerus, qui ubere de hac vita disseruit, quae capitibus I—XX continentur, paene omnia ad Marium Maximum referre videtur, de extrema autem parte quid sentiat omnino non aperuit[9]). Ruebelius contra et c. II et c. XIX, 7—10 nec non c. XXII—XXIV Cordo, c. XX et XXI autem Helio Mauro tribuit, cum cetera omnia Mario Maximo relinqueret[10]). De Hoefneri sententia infra nobis accuratius disputandum erit.

Ut paene totam vitam Mario assignaret, Ruebelius eo commotus est, quod Marianam illam dispositionem agnoscere sibi visus est. Quae sententia quamquam multum abest, ut tota probari possit, tamen concedendum est, in quattuor prioribus capitibus res secundum eundem ordinem, qui in ceteris vitis e Mario Maximo haustis semper observatus est, narratas esse: agitur primum de origine et familia Severi I, 1—3, deinde de pueritia atque educatione litterarumque studiis I, 4—5, tum de muneribus publicis I, 5—IV, 7, cui narrationi, ut fieri solet, hic illic omina et oracula, quae Severo futurum imperium indicavisse dicuntur, inserta sunt.

---

1) In vitis Helii, Pescennii Nigri, Clodii Albini nec non Getae Marium Maximum non primarium, sed secundarium fontem fuisse demonstrasse mihi videtur Plew in programmate, cui inscripsit „Marius Maximus als directe und indirecte Quelle der script. hae Aae; Strassburg, 1878."

2) p. 11. 3) p. 11. 4) p. 50/51. 69/70. 14. 5) p. 65. 6) p. 71. 7) p. 14.
8) p. 13. 9) Buedinger, III, p. 76 sq. 10) p. 53 sq.

Huic autem argumento, quo Ruebelius solo nixus est, alia haud levis ponderis addi possunt, quorum primum omni dubitationi exemptum est. Iam Muellerus animadvertit, ea, quae III, 9 de altera Severi uxore referuntur, in vita Alexandri Severi V, 4 similiter repeti. Compares enim, quaeso

vit. Sev. III, 9 cum amissa uxore aliam vellet ducere, genituras sponsarum requirebat, ipse quoque matheseos peritissimus, et cum audisset, esse in Syria quandam, quae id geniturae haberet, ut regi iungeretur, eandem uxorem petit etc.

vit. Alex. Sev. V, 4 si quidem, ut *Marius Maximus* dixit *in vita Severi*, nobilem orientis mulierem Severus, cuius hanc genituram esse compererat, ut uxor imperatoris esset, adhuc privatus et non magni satis loci duxit uxorem.

Ut autem illa procul dubio Mariana sunt, ita, si concesseris nos recte in vita Hadriani tractanda explanasse neque Hadriani neque Severi libellos Aelio ipsi ad manus fuisse, immo eorum notitiam per Marium Maximum ad epitomatorem pervenisse[1]), facere non poteris, quin etiam in III, 2, ubi urgetur Marciae prioris Severi uxoris „in historia vitae privatae" a principe ne tenuissimam quidem mentionem factam esse, eundem Marium Maximum expressum esse statuas, praesertim cum tanta fuisse illum compilatorem accuratione et vigilantia nemo profecto contenderit. — Fortasse etiam e III, 7, ubi edocemur, Severum subito intermissa publicorum munerum serie „studiorum sacrorumque causa et operum ac vetustatum" Athenas petiisse, aliquid elici potest. Namque si Crevierus[2]) recte suspicatus est, otium illud non fuisse voluntarium, immo ab exilio ne hilo quidem differre, quae coniectura valde mihi arridet, quid magis est consentaneum quam ipsum Severum in narranda vita sua illud praetextum finxisse, praesertim cum postea in Antoninorum familiam transire et tanquam successorem et fratrem Commodi se existimari vellet[3]), ita ut mirum oppido visum esset, a Commodo Severum in exilium missum esse.

Aliud documentum capimus e Cassio Dione. Conferas enim haece:

Spart. vit. Sev. I, 6 eadem nocte somniavit, lupae se uberibus ut Remum inhaerere vel Romulum.

Cass. Dionis l. LXXIV, 3, 1 *ὅτε γὰρ ἐς τὸ βουλευτήριον ἐσεγράφη, ὄναρ ἔδοξε λύκαινάν τινα κατὰ ταὐτὰ τῷ Ῥωμύλῳ θηλάζειν.*

---

1) cf. p. 9 et 10.

2) Hist. des emp. Rom. IX, 65, quem secuti sunt. Schulte „de imperatore L. Sept. Severo, diss. Monasterii 1867, p. 11 et Kleinius, die Verwaltungsbeamten von Sicilien und Sardinien p. 116/117.

3) cf. vit. Sev. X, 6; XIX, 2/3 nec non XII, 8 et XI, 3; vit Getae II, 2—5; Aurelii Victoris de Caesar. c. XX. vit. Sev. § 31.

Qua in re noli neglegere, vel in definiendo temporis momento Dionem et Spartianum concordare, cum uterque tum illud factum esse testetur, cum Severus latum clavum adeptus esset. Porro sine exscribam

vit. Sev. II, 9 sedit et in sella imperatoria temere a ministro posita, ignarus quod non liceret.	Cass. Dio l. LXXIV, 3, 3 (ταῦτα μὲν ἐκ τῶν ὀνειράτων ἔμαθεν), ὕπαρ δὲ ἐς τὸν βασιλικὸν δίφρον ἔφηβος ὢν ἔτι ἀγνοίᾳ ἐνιδρύθη.
vit. Sev. III, 5 deinde ex altissimi montis vertice orbem terrarum Romamque despexit concinentibus provinciis lyra voce vel tibia.	Cass. Dio, ibid. 3, 2 καὶ ἄλλοτε ἀνήχθη ἐς περιωπὴν ὑπό τινος, καὶ καθορῶν ἀπ' αὐτῆς πᾶσαν μὲν τὴν γῆν, πᾶσαν δὲ τὴν θάλατταν, ἐφήπτετο αὐτῶν ὥσπερ παναρμονίου τινὸς ὀργάνου, καὶ ἐκεῖνα συνεφθέγγετο.

Quae e Dione exscripta esse putari nequit propterea, quod neque Cassius a scriptoribus historiae Augustae omnino usurpatus est et alia a Spartiano oracula ominaque afferuntur, quae apud Dionem desideramus, denique quod Spartianus de eo saltem, quod postremo loco posui, non prorsus cum Cassio congruit, etiam tempus, quo Severo obtigerit, accuratius definit, cum in Hispania illum tum fuisse perhibeat. Quodsi collegerim, haec quia iam Severi aetate pervulgata esse scimus et quod somnia, ut natura fert, prodi nequeant nisi ab eo cui obtigerunt, ab ipso Severo in libello suo narrata indeque a Mario Maximo, quippe qui illum libellum manibus versaverit, hausta eaque via ad Spartianum perlata esse, nonne coniecturam satis probabilem proferam? Sed confidentius ita statuere licet, cum aliud adminiculum huius opinionis nobis subministretur ab Herodiano, apud quem II, 9, 3, ubi in universum de oraculorum ominumque vi atque fide verba facit, haece habes: „ἀνέπειθε δὲ αὐτὸν (sc. τὸν Σεουῆρον τῆς τῶν Ῥωμαίων ἀρχῆς ἐφίεσθαι) ὀνείρατα τοιαύτην τινὰ ἐλπίδα ὑποσημαίνοντα χρησμοί τε καὶ ὅσα ἐς πρόγνωσιν τῶν μελλόντων σύμβολα φαίνεται ...... τὰ μὲν οὖν πολλὰ ἱστόρησεν αὐτός τε συγγράψας ἐν τῷ καθ' αὐτὸν βίῳ καὶ δημοσίαις ἀνέθηκεν εἰκόσιν. Cuiusmodi fabulas quamquam Herodianus proferre aspernatur, unam tamen silentio praetermittendam non ducit his usus verbis „τὸ δ' οὖν τελευταῖον καὶ μέγιστον, ὅπερ αὐτῷ καὶ τὴν ἐλπίδα πᾶσαν ὑπέφαινεν ὄναρ, οὐδ' ἡμῖν παραλειπτέον". Iam vero sequitur lepida narratiuncula, quam modo non ita exornatam apud Cassium quoque loco supra laudato invenimus.

Inde quid consectarium est? ut hoc, ita vetera quoque omina, quae a Dione proferuntur, ex Severi libello desumpta esse neque minus ea, quae Spartianus pariliter narrat. Quid igitur, cum exploratum sit Severum neutiquam primarium Aelii Spartiani fontem

fuisse, probabilius est quam Marii Maximi opera illa in horrea epitomatoris perlata esse?

Quamquam autem confidenter contendere possumus prima quattuor capita excerptum esse secundum Marium Maximum confectum, tamen nonnulla procul dubio eximenda et ad alium fontem revocanda sunt.

Atque primum quidem agendum nobis est de c. II, § 1—2, ubi legimus: „Iuventam plenam furorum, nonnumquam et criminum habuit. Adulterii causam dixit absolutusque est a Iuliano, proconsule, cui et in proconsulatu successit et in consulatu collega fuit et in imperio item successit“. Quae falsa existimanda esse inter viros doctos convenit[1]). Causam enim illam Severus in Africa, ubi Iulianus proconsul fuit, dixerit necesse est. Iam autem auctor huius narratiunculae falsi convincitur, cum eo tempore, quo Severus adulescens in Africa versatus est, Iulianus nondum ad proconsulatum promotus sit, tum autem cum hoc magistratu functus est, Severus iamdudum Africam reliquerit. Romam enim Severus non post a. 172, quo quaesturam eum egisse verisimile est, se contulit, Iulianus autem qui a. 175 demum, ut vulgo putatur, consul fuit proconsulatum Africae, ut ex inscriptione[2]) elucet, ultimum publicum munus administravit. Quin etiam accuratius illud tempus definiri potest e duobus locis Marianis[3]) quorum alter exstat in vita Pertinacis IV, 1, alter in vita Didii Iuliani II, 3. Ex hoc enim discimus Iulianum Pertinaci in proconsulatu successisse, ex illo Pertinacem aut anno 190 p. Chr. aut certe non multo ante proconsulem fuisse unde efficitur, ut Iulianus aut a. 191 aut a. 190 et ipse proconsulatu functus sit. Quod vero Severus Iuliano in proconsulatu successisse et in consulatu collega fuisse dicitur, neutrum verum est; neque enim Severus Iuliano quindecim annis maiori succedere potuit neque simul cum eo consulatum gessit, cum Didius Iulianus cum Pertinace iam sub Marco Aurelio illud munus meruerint, Severum autem Commodus simul cum Rufino et aliis viginti tribus ad eum honorem provexerit[4]).

Quodsi dubitari nequit, quin illa omnia ficta sint et quidem maligne a mordaci Severi obtrectatore, qui pus atque venenum in eum emeret, conficta, iam quaeritur, cui illa opprobrio vertenda sint.

---

1) Ruebelius p. 54; Hoefnerus p. 50/51 et 68 e. sq. Kleinius p. 118.

2) cf. bullettino dell' instituto di corrisp. archeol. per l'anno 1869, p. 133, adscripta est etiam ab Hoefnero p. 50, a 64.

3) cf. Ruebel 43 sq. et 49 sq.

4) cf. vit. Sev. IV, 4 Consulatum cum Apuleio Rufino primum egit, Commodi se inter plurimos designante, et Cass. Dio. l. LXXII, 12, 4 (*Κλέανδρος*) *ὑπάτους ἐς ἕνα ἐνιαυτὸν πέντε καὶ εἴκοσιν ἀπέδειξεν· . . . . καὶ ἐν αὐτοῖς καὶ Σεουῆρος ὁ μετὰ ταῦτα αὐταρχήσας ὑπάτευσεν.* cf. etiam Lamprid. vit. Commod. VI, 9.

Hoefnerus quidem Muelleri dissertatione fretus inde causam duxit fidem atque auctoritatem Marii Maximi detrectandi[1]; sed multo melius mihi Ruebelius[2]) iudicasse videtur, qui illa omnia a Mario Maximo abhorrere contendit. Primum enim Marius tradidit Didium Iulianum Pertinaci in proconsulatu successisse et in consulatu collegam fuisse. Quid igitur probabilius quam totam hanc fabulam, quam in vit. Sev. II, 2 reperimus, ita exortam esse, ut ea condicio, quam Marius Maximus inter illos imperatores intercessisse notaverat, sive consulto sive memoriae lapsu ab alio scriptore ad Didium Iulianum et Severum transferretur[3])? Deinde Marius Maximus, ut ex illis locis supra allatis elucet, temporum rationis minime tam ignarus fuit, ut traderet Iulianum Severo etiam iuvene proconsulem Africae fuisse. — Porro extrinsecus illa Marianae narrationi illata esse aliam quoque ob causam in propatulo est. Sive enim, ut conexus desiderat, illud crimen ad iuventutem Severi refers, sive, ut temporum ratio cogit, ad annum 190 aut 191, suum locum illa non obtinent. Illud enim si sumis, iam ante I, 5 fabulam illam inseri necesse erat, cum ibi iam narretur Severum Romam transmigrasse et latum clavum a Marco accepisse; hoc si putas rectius esse, multo infra ea proferenda fuit, cum quae de quaestura et praetura et aliis nonnullis muneribus publicis in c. II et III commemorantur, etiam ad principatum Marci Aurelii Antonini pertineant. — Denique suo iure Ruebelius monuit, cum II, 1—2 acerrimo inimico Severi debeantur, alias benevolenter de eo iudicari: cf. II, 3; III, 1; IV, 1; omnino autem talem conviciandi rationem[4]) a Mario alienam esse, qui non in cassum accusare, sed res semper ipsas afferre soleat.

Verum tamen ut, quod ad primas duas capitis II paragraphos attinet, Ruebelii sententiae subscripsi, ita facere non possum, quin de reliquis eum erroris arguam. In eis enim, quae contra Marianam originem disputavit, sagacitatem eius et diligentiam desideramus. Tria potissimum sunt, quae monuit. Ac primum quidem Severum quaesturam maturius consecutum esse, quam ex lege liceret, ostendere posse sibi visus est. Namque cum statim post quaesturam in provinciam Baeticam abiisse diceretur idque eo anno, quo Mauri Hispanias devastavissent, quod secundum vit. Marci Aur. XXI, 1 non post a. 170 accidisset, inde putavit effici, ut Severus quaestura aut a. 168 aut a. 169 i. e. circiter vicesimum tertium aetatis annum functus esset. Quod etiamsi filiis imperatorum saepius obtigisset, perquam tamen mirum esse in homine privato, cuius familia ne

1) p. 14, 50/51, 69/70.

2) p. 53/54.

3) Aliam sane explicationem Kleinius p. 118 pollicitus est.

4) Specto maxime ad II, 1.

senatoria quidem fuisset. — Tota haec ratiocinatio, ut vides, apta est ex Marci vit. c. XXI, 1, ubi haec habes „cum Mauri Hispanias prope omnes devastarent, res per legatos bene gestae sunt“, quam incursionem Ruebelius post a. 170 statui posse negavit. Ni fallor, Ruebelius, cum tempus ita definiret, respexit ad XX, 6 „proficiscens ad bellum Germanicum etc.“ et ad XXI, 3 „sub ipsis profectionis (sc. in Germaniam) diebus etc.“ et ex eo, quod et in eis, quae hunc' de quo agitur, locum praecedunt et in eis, quae sequuntur, profectionis ad bellum Germanicum mentio fit, collegit illo ipso tempore Mauros in Hispaniam invasisse. Sed ut in universum, priusquam in uniuscuiusque vitae coagmentationem subtiliter inquisitum sit, cum in aliis tum praecipue in vita Marci e rerum collocatione saepe nihil certi effici potest ad constituendum temporis ordinem, ita hic potissimum ne eiusmodi conclusioni confidamus, res ipsa ut caveamus monet. Illud enim ipsum, quod temporis spatium nimis limitatur, fidem omnem tollit. Quid enim? num intra paucos illos dies, qui inter nuptias filiae Marci eiusque profectionem intercedebant, bellum Mauricum in Hispania nec non seditionem Bucolicorum militum in Aegypto exorta simul simulque compressa esse credamus?[1]) Ut autem de anno illius vastationis nihil constat, ita, cum probabile sit saepius Mauros irrupisse, ne id quidem pro certo scimus, num eadem in vita Marci c. XXI, 1 populatio intellegenda sit atque ea, quae Severo in Baetica quaestore evenit, ita ut Ruebelii ratiocinatio omnibus ex partibus fluxa putanda sit. Ceterum Severum alieno auxilio celeriter promotum esse discimus ex I, 5, ubi scriptor, postquam rettulit Severum a Marco imperatore lato clavo ornatum esse, subiungit „favente sibi Septimio Severo adfini suo bis iam consulari“. Quidni igitur ille vir, qui multum apud principem auctoritate valuisse videtur, Severum celerius ad praeturam provexerit? Vides igitur sive rationem Ruebelii secutus ad annum 168 aut 169 descendis sive cum Kleinio[2]) ceterisque viris doctis quaesturam in annum 172 cadere existimas, offensionem in ea re non inesse.

At, pergit Ruebelius, statim post quaesturam Baeticae provinciae praefectus esse perhibetur, quae utique praetorio viro committi de-

1) Id tantum constat neque iure Huebnerus (Monatsberichte d. kgl. preuss. Acad. d. Wissensch. zu Berlin 1861, p. 614) oblocutus est, populationem illam factam esse post mortem Veri. Quod cum teneo, non modo eo nitor, quod Capitolinus inde a c. XX se res a Marco solo gestas narrare profitetur, sed etiam vit. Avid. Cass. VI, 7, ubi Vulcacius Gallicanus diserte testatur, de Bucolicorum militum tumultu Marium Maximum in secundo de vita Marci libro c. e. in eo, quo res post mortem Veri gestae continentur, rettulisse. Quodsi vit. Marci c. XXI § 1—2, ut videtur, ex uno simul eodemque fonte exscriptae sunt, consequitur etiam Maurorum incursionem Vero iam defuncto i. e. non ante a. 169 factam esse.

2) l. c. p. 114.

bebat. Sed incidit vir doctus mirum in errorem. Sane quod legimus II, 3 „sorte Baeticam accepit“ et II, 4 „pro Baetica Sardinia ei attributa est“, ea parum accurate dicta sunt; nihilominus si paululum prospexisset, e § 5 ubi habes „acta igitur *quaestura Sardiniensi*“ didicisset Severum non profectum illarum provinciarum fuisse, sed quaestoris munere primum in Baetica, deinde in Sicilia functum esse. — Sane iam alia exoritur difficultas, quod iam duae quaesturae evadunt. Et Zumptius [1]) et eum secuti Schulte [1]) et Hoefnerus [1]) de duabus quaesturis cogitari posse negaverunt, et unusquisque concedet certum testimonium ex II, 3, cum haec paragraphus alia quoque gravissima corruptela laboret, elici non posse. Itaque valde mihi placuit coniectura, qua haesitanti mihi Wachsmuthius, praeceptor dilectissimus, succurrit. Si enim accuratius hunc locum examinamus, animadvertimus integra esse haec verba: „quaesturam diligenter egit“ „sorte Baeticam accepit“ etc., ita ut mendum, si quod adest, non nisi in eis, quae interposita sunt „omnis sortibus natu post quaesturam“ latere possit. Priora horum verborum argute Hirschfeldius restituit scribens „omisso tribunatu militari“ [2]); restant igitur „post quaesturam“. Quicunque autem illud enuntiatum legit, concedet verba „om. trib. mil.“ in fine posita claudicare, melius autem procedere sententiam si scribimus „quaesturam omisso tribunatu militari diligenter egit“. Quid igitur, si quis contenderit illa verba mutilata primum in archetypo describendo intercidisse, postea in margine adscripta esse additis verbis „post quaesturam“, quibus locus, quo illa inserenda essent, significaretur?

Denique Ruebelio offensioni fuit, quod Severo propter bellum Mauricum pro Baetica Sardinia commissa esse dicitur. „Quid? Severus nisi provinciam ab hostibus defendere potuit, cur praefectus provinciae factus est?“ Praefectum eum non fuisse supra monuimus. Sed quid rei sit, iamdudum viri docti perspexerunt [3]). Marcus enim, ut solebat [4]), bello illo exorto provinciam, quae eo usque senatoria fuit, imperatoriam fecit; itaque, cum quaestores in provinciis imperatoris non essent, Severo Sardinia tradita est.

Iam cum omnes difficultates evanuerint, paucis illud, quod postremo loco Ruebelius opposuit, absolvam. Quae enim II, 6—9 narrantur, nimis ei fabulosa videntur quam ut Mario Maximo tribui possint. Sed sive vera sunt illa, quae de cive Leptitano fustibus caeso narrantur,

---

1) Zumpt, Studia Romana p. 143 s.; Schulte p. 10; Hoefner p. 52.

2) Quamquam Eutropius VIII, 18 eum tribunum militarem fuisse asseverat.

3) Zumpt, stud. Rom p. 144. Hoefner p. 54. Klein p. 114/15.

4) Cf. Marci Antonini phil. vit. c. XXII, § 9: Provincias ex proconsularibus conconsulares aut ex consularibus proconsulares aut praetorias pro belli necessitate fecit.

sive falsa, in universum reputemus necesse est, praecipue in describenda ea vitae parte, quam ut hominis privati admodum ignotam fuisse sumendum est, multas eiusmodi narratiunculas fictas irrepere potuisse, quibus aliqua ex parte mores eius, de quo agitur, illustrarentur, veluti ista fabula ambitio atque superbia Severi depingitur. Neque in § 8—9 quidquam inest, quod a Mario alienum sit. Non enim solum ex Flavii Vopisci verbis in vit Firmi I, 2 „M. M. homo omnium verbosissimus, qui et mythistoricis se voluminibus implicavit", sed ex aliis quoque locis Marium talia amasse comprobatur, veluti huius ipsius vitae II, 8—9 ei deberi supra vidimus, cui loco nunc satis habeo addere vit. Hel. III, 9 „fuisse . . . Hadrianum peritum matheseos Marius Maximus usque adeo demonstrat etc". Ceterum ista superstitio communis ei fuit cum Cassio Dione.

Quibus disputatis cum id assecutus esse mihi videar, ut quae Ruebelius, ut sententiam suam tueretur, protulit, vana esse demonstrarem, iam restat, ut repetam totum caput in duas partes disparandum esse, quarum altera, cum narrationem in c. I incohatam, c. II, 1—2 autem perperam intermissam, inde a c. II, 3 continuet, dubium non est, quin eidem, cui c. I, fonti debeatur i. e. Mario Maximo.

Quod si de c. II°. haud pauca Mario restituimus, vereor, ne paululum tantum progressis iterum nobis disceptandum sit, utrum hic adhibitus sit necne. Intricatissima enim quaestio mota est de c. IV. Quod enim Spartianus Severum primum Pannonias proconsulari imperio regentem, deinde Siciliam administrantem facit, deinde eum consulatu functum post anni fere otium Germanicis exercitibus praefectum esse tradit, Kleinius [1]) contra monuit, non modo munerum ordinem ex permultis inscriptionibus notum funditus perversum esse, cum, si Spartiano fidem haberemus, Severus consularem provinciam ante praetoriam, illam vel ante ipsum consulatum administravisset, sed etiam ex Dionis [2]) et Herodiani [3]) testimoniis constare Severum non Germanico, sed Pannonico exercitui praefuisse, cum imperator appellaretur. Ruebelius [4]) simpliciter errorem Marii Maximi statuit; sed res admodum gravis, quae et ipsi non latuit, suspicionem movere debuit, quod V, 2 Spartianus diserte docet apud Carnuntum, quod est oppidum Pannoniae, Severum imperatorem appellatum esse, ita ut error iam multo maior accedat, quod Marius Maximus ne id quidem sciverit Carnuntum Pannoniae caput esse. Quod ut per se paene incredibile est in homine, qui postea summos honores adeptus est, ita eo magis esset mirum, quod ipsius Severi libellus ei patuit. Sed

[1]) p. 117 sq.
[2]) Cass. Dio LXXIII, 14. [3]) Herod. II, 9 2. [4]) Ruebel. p. 58/59.

hunc lapsum non Mario Maximo, ut voluit Hoefnerus [1]), iniungendum esse, apparet ex vit. Did. Jul. V, 1, ubi legis „et Julianus quidem neque Britannicos exercitus neque *Illyricos* timebat“ (i. e. non suspicatus est inde sibi periculum instare), et ex V, 2 „Pescennius Niger in Syria, Septimius Severus in *Illyrico* cum exercitibus.... descivere“, quae Mariana esse Ruebelius ipse mihi persuasit [2]). Illyricum autem latius patere et Pannoniam quoque comprehendere notum est. Quae cum ita sint, vix quisquam perturbationem illam in enumerandis muneribus exortam Mario Maximo vitio dare audebit, quamquam, quomodo res explicanda sit, etiam nunc dubito.

Superest ut finem huius excerpti determinemus. Etiamsi iam V, 1 nomen oppidi Carnunti ex Mario Maximo inditum videtur — quamquam nihil obstat, quominus ignotum illum scriptorem, ubi Carnuntum situm sit, ignorasse putemus — tamen etiam § 2 et 3 ab eo abhorrent. Iam Ruebelius offendit in eo, quod Severus idibus Augustis imperator appellatus esse traditur, cum sciamus e vit. Pert. XV, 5 Pertinacem iam a. d. V Kal. April. interfectum esse; neque tamen pro „Augustis“ „Aprilibus“ corrigendum esse puto, quia etiam quae sequuntur „cum iam Illyriciani exercitus et Gallicani . . . . in eius verba iurassent“ cum Mario Maximo pugnant, qui ab ipsis Illyricis exercitibus Severum primis imperatorem appellatum esse testatur.

Contra Marianum vestigium patet V, 8: quod enim legimus „incertum id an dolo fecerit, cum iam ante misisset *notos ducum interfectores* quosdam, qui Severum occiderent, ita ut *ad Pescennium occidendum* miserat“ huc conferendus est Marianus locus, qui exstat in vit. Did. Jul. V, 8: „missus est praeterea Aquilius centurio *notus caedibus senatoriis* qui Severum occideret.“ Quam non fortuitam esse consensionem probatur aliis locis adscitis: e vit. Pescen. Nig. II, 6 „Aquilium centurionem *notum caedibus ducum* miserat; et ex ipsa hac Sev. vit. VII, 4 „in curia reddidit rationem suscepti imperii causatusque est, quod *ad se occidendum* Julianus *notos ducum caedibus* misisset“, unde simul apparet c. VII ex eodem fonte fluxisse. Porro ad V, 4 „excipiebatur enim ab omnibus quasi ultor Pertinacis“ respondent, quae VII, 6 habes „funus deinde censorium Pertinacis imagini duxit etc., se quoque Pertinacem vocari iussit“. Cum omnino inde a c. VII narratio optime procedat usque ad finem c. IX¦ et conexus capitum VIII¦ et IX¦ etiam e comparatis his locis

VIII, 11 „Nigri liberos ad se adductos in eo habuit honore quo suos“	IX, 2 „filios Nigri post hoc, quos liberorum suorum cultu habuerat, in exilium cum matre misit“,

1) Hoefnerp. 13. 2) Ruebel. p. 49.

satis appareat, non dubito haec omnia ad Marium referre, paucis particulis exceptis, quas statim subiungam.

Praefectos praetorio, quos Didius Julianus designavit, ex hisce novimus locis vit. Did. Jul.: III, 1 „Tunc Julianus Flavium Genialem et Tullium Crispinum suffragiis praetorianorum praefectos praetorii fecit"; VIII, 6 „remansit in Palatio cum uno de praefectis suis Geniali etc."; VII, 4 „unum ex praefectis Tullium Crispinum misit"; VII, 5 „ipse autem tertium fecit praefectum Veturium Macrinum". Sunt igitur hi tres praefecti praetorio: 1) Flavius Genialis, 2) Tullius Crispinus, 3) Veturius Macrinus, qui diserte *tertius* adsumptus esse perhibetur. Quid igitur, quod in vit. Sev. VI, 5 legimus „fecit etiam statim praefectum praetorii *Flavium Iuvenalem*, quem etiam Julianus *tertium* praefectum sibi adsumpserat"? Ceterum alia quoque offendunt. Hoefnerus in eo haesit [1]), quod Severus VI, 3 septuagenos vicenos aureos legatis Juliani dedisse dicitur, quod prorsus et a consuetudine imperatorum et a moribus Severi abhorreret; ego si ita interpretor, ut Hoefnerus voluit et verba desiderant, frustra sensum in illo enuntiato requiro [2]). Etiam quae sequuntur turbata sunt; veluti haece „VI, 6 interim Romae ingens trepidatio ..., quod armatus ... Severus veniret ..... His accessit quod comperit (subiectum perperam omissum est) Pescennium Nigrum .... imperatorem appellatum etc." An eo trepidatio Romae aucta est, quod Severus comperit, Pescennium quoque imperium arripuisse?

Etiam sub finem c. IX¦ non bene omnia procedunt. Modo compares IX, 3 „neque quemquam senatorum, qui Nigri partium fuerant praeter unum supplicio affecit" et paululo tantum infra IX, 6 „in multos saeve animadvertit, praeter ordinem senatorium, qui Nigrum fuerant secuti", denique IX, 8 „eos senatores occidit qui cum Nigro militaverant ducum vel tribunorum nomine", quae vix omnia uni eidemque fonti tribuenda sint; quare etiam de eis, quae insequuntur, IX, 9—11, nihil certi statui potest.

Iam si quaerimus, quot praeter Marium Maximum scriptores usurpati sint, duo facile distingui possunt, quorum alter est acerrimus Severi inimicus, cui debentur c. II, § 1—2, alter, cui extremae paragraphi c. IV¦ et initium c. V¦ debentur, ei favere videtur, ut ex IV, 7 „in Germaniam profectus ita se in ea legatione egit, ut famam, nobilitatem iam ante, cumularet" perspicuum est. Utrum quae praeterea a Mario abhorrent alteri horum fontium assignanda sint an non, discerni nequit.

---

1) p. 107.

2) VI, 3 postera die occurrente omni famulicio aulico septuagenos vicenos aureos legatis dedit etc.

Prorsus aliter de Spartiani fontibus Hoefnerus iudicavit. Cum enim omnes hucusque recentiores in eo consenserint, quod Cassium Dionem omnino, Herodianum autem in prioribus vitis usurpatos esse negaverunt, ille propter similitudines nonnullas facere non potuit, quin haud pauca ad illos duos fontes referret. Quod Spartianus V, 4 tradit Severum se tamquam Pertinacis ultorem gessisse eoque militum animos sibi conciliavisse, id adeo ei cum Herodiano, qui II, 9, 8 et 11 [1]) Severum similia apud exercitum contionantem inducit, congruere videtur, ut Spartianum ex illo pendere censeat [2]). Contra ea quae de certamine Didii Juliani et Severi in utriusque vita (D. Jul. vit. c. V sq., Sev. vit. V, 5 sq.) narrantur, procul dubio e Cassio Dione hausta esse contendit. Quod enim Spartianus narret Severum Juliano auctore a senatu hostem appellatum esse, deinde, cum res minus bene procederent, legatos ad Severum missos esse, qui ut recederet aut ei persuaderent aut exercitu sollicitato eum cogerent [3]), porro quod Didium Julianum in exercendis praetorianis, quibus maxime confisus esset, frustra sudavisse testetur [4]), quod Ravennam dicat a Severo occupatam [5]), Pertinacis interfectores a praetorianis expostulatos esse [6]), quod Julianum, cum hostilem in modum nihil profecisset, demisse se gessisse et Severum senatusconsulto participem imperii designasse [7]), denique victoria desperata ad magicas artes confugisse [8]) referat, illa omnia apud Dionem quoque legi, ita ut dubitari nequeat, quis hic a Spartiano adhibitus sit.

Consentire Dionem Cassium et Spartianum nemo negavit. Sed num id, quod Hoefnerus voluit, inde consequatur, merito viri docti dubitasse mihi videntur. Spartianum enim vel potius, quem nos statuimus eius fontem, Marium Maximum cum Dione summis de rebus congruere, cum uterque non modo aequalis Didii Juliani, sed etiam Romae illa tempestate fuerit, adeo mirum non est, ut contra esset, cur miraremur, si illi non concordarent; nam si omnino vera narrare voluerunt, necesse erat de eisdem rebus eos eodem fere modo referre. Hoefnerus nimirum, cum Marii Maximi auctoritati tantopere obtrectaverit, pronus esse videtur, ut huic nihil nisi ficta et falsa iniungat, cetera omnia ad Cassium Dionem revocet. Consensione igitur illa

---

1) II, 9, 8 *ἔλεγέ τε δεὶν ἐπαμῦναι καὶ ἐπεξελθεὶν τῷ Περτίνακος φόνῳ;* II, 9, 11 *καὶ θέλειν ἐπεξελθεῖν τῷ Περτίνακος φόνῳ.*

2) p. 85.

3) Jul. vit. V, 3 et V, 5 = Sev. V, 5 = C. D. 73, 16, 1 et 17, 1 p. 87/88.

4) Jul. V, 9 et VI, 1 = C. D. 73, 17, 2 p. 91.

5) Jul. VI, 3 = C. D. 73, 17, 1 p. 93.

6) Jul. VIII, 5 = C. D. 73, 17, 3 p. 99/100.

7) Jul. VI, 9 = Sev. V, 7 = C. D. 73, 17, 2 p. 94.

8) Jul. VII, 10—11 = Sev. V, 7 = C. D. 73, 17, 2 p. 94.

generali omnino nihil discernitur in hac quaestione. Contra si optio datur inter duos illos auctores, non desunt, e quibus iudicium satis, opinor, certum ferre liceat. Ac primum quidem, quamvis Hoefnerus obloquatur [1]), illud, quod omnes monuerunt, iterum mihi premendum videtur, nusquam neque in prioribus neque in posterioribus vitis Cassium Dionem a scriptoribus historiae Augustae nominari. At Hoefnerus opponit alios quoque fontes ab eis adhibitos neque tamen nominatos esse. Id re vera factum esse ipsi supra in tractanda vita Hadriani experti sumus; sed distinguendum est inter duo fontium genera. Ii auctores, qui per plures vitas semper excerpti sunt, saepius laudantur, veluti Marius Maximus in prioribus, in posterioribus Cordus et Herodianus; quos autem praeter principales illos auctores hic illic ad singulas vitas conflandas adsciverunt, haud raro silentio obruerunt. Neque profecto habebant, cur illos obscuros fontes se adiisse gloriarentur, cum quae ex eis deprompserunt pleraque ne hilum quidem valeant, ut non modo vita Hadriani comprobatur, sed etiam hac ipsa vita Severi, veluti, ut exemplo non ambiguo utar, consideres, quaeso, quae in c. XX et XXI tumidus ille et grandiloquus Helius Maurus hariolatus sit. Alia res est, ubi de Dione agitur. Hunc si scriptores illi perlegissent, qui, ut Muellerus recte animadvertit, haud raro nimirum iactandi causa, simulaverunt se complures auctores consuluisse, ubi unum tantum adhibuerunt, sine dubio multum eum in ore habuissent neque immerito gloriati essent, cum hic plus valeat quam ceteri omnes. Porro si consideramus hos scriptores insignes esse mira sua pigritia, ut e. g. in vita Hadriani saepius eos copiam Marii Maximi fastidisse [2]) et ad fontes multo exiliores se applicasse vidimus et luculento exemplo ex Sev. vita desumpto, quod facere non possum quin praecipiam, comprobatur, cum Spartianus XVII, 5 hisce verbis usus „et quoniam longum est minora persequi etc.“, quamquam permulta et gravissima referenda restant, ad fontem omnibus steriliorem se convertat eumque verbotenus exscribat, — quis tandem putaverit ad Dionem illos Mario Maximo multo uberiorem accessisse, praesertim cum non modo Graece scripserit, sed etiam, quod eis minus commodum fuit, non tam imagines quam historias composuerit. Quae si generalius disputata videntur, alia Hoefnerus ipse subministravit, cum simul ostendit non omnia Dioni vindicari posse. Quod enim ea, quae Spartianus de Tullio Crispino praefecto praetorio Iuliani refert [3]), ad illum revocare, quia ibi nusquam eius mentio fit,

---

1) p. 20.

2) Marium Maximi narrationem illos decurtare necesse erat, cum alios parciores fontes verbotenus exscripserint, ut ex eo apparet, quod cum aliae eorum proprietates tum praecipue peculiare uniuscuiusque genus dicendi servatum est.

3) Vit. Did. Jul. VI, 4 Tullius Crispinus praefectus praetorio contra Severum

non audet, sed concedit [1]), alium rerum illarum aequalem Spartiano praesto fuisse, quis intellegi potest nisi Marius Maximus. Neque Hoefnerus dubitat cetera, quae apud solum Spartianum servata sunt, Mario Maximo tribuere [2]), e. g. quod epitomator solus narrat Iulianum Lollianum quendam Titianum gladiatores Capuae armare iussisse, Claudium Pompeianum autem consortem imperii designare voluisse[3]), porro milites ex Umbria ad Severum transiisse[4]); denique Iulianum perculsum metu et desperatum apud senatum rogasse, ut virgines Vestales ceterique sacerdotes exercitui Severi obviam irent[5]); quae quidem omnia, quod Mariana sint, addubitat, eo tamen ipse se refutans, quod ea, quae ad Tullium Crispinum pertinent, optime ad Dionis narrationem quadrare concedit et in usum suum convertere non dubitat. Adiciendum est, quod etiam Severum classe Ravennae potitum esse apud Spartianum solum invenimus, id quod iterum Hoefnerus recipere non cunctatur. Cum igitur Hoefnerus concedit nonnulla ex Mario hausta esse, ipse opinionem suam redarguit. Quis enim qui, quam illi scriptores diversorum fontium narrationes consociare non potuerint, cognovit, aptam illam narrationem in vita Didii Iuliani Spartianum ex parte a Cassio, ex parte a Mario mutuatum esse credet? Adde, quod etiam in eis, quae et Spartianus et Dio narrant, non plane congruunt, sicut, cum Dio dicat a Iuliano illos legatos ad Severum missos esse, accuratius Spartianus ex senatus consulto id factum esse testatur [6]), praecipue autem in ominibus illis narrandis aliquantum inter se discrepant. Quae res quamvis sint levidenses, tamen pusilla discondantia in eius modi quaestionibus plus valet quam consensio generalis[7]).

Ut autem de Dione Spartiani fonte cogitari nequit, ita multo etiam veri est dissimilius illa „excipiebatur . . . . quasi ultor Pertinacis“ (V, 4) Herodiani esse, cum non modo non sit, cur idem a Mario Maximo traditum esse negemus, sed etiam haud probabiliter quis contenderit Spartianum, ut pauca illa verba scribere posset,

missus, ut classem produceret, repulsus Romam redit. III, 1, Tunc Julianus.... Tullium Crispinum suffragiis praetorianorum praef praet. fecit; porro ibid. VII, 5, 6; VIII, 1.

1) p. 93 „ausser Cassius Dio hat dem Spartian noch eine andere Quelle vorgelegen“ et p. 95 „es hat dem Spartian hiefür ein Gewährsmann vorgelegen, der den Ereignissen jener Zeit nahe stand und gerade auf die Détails und die Namen der betheiligten Personen besonderes Gewicht legte“. Marius Maximus, cum leviora accurate narrare posset, quidni etiam res graviores aeque ac Dio rettulerit? cf. etiam p. 97/98.

2) p. 97. 3) vit. Iul. VIII, 3. p. 96. 4) Iul. VIII, 4. p. 97. 5) Iul. VI, 5. p. 97/98.

6) CDio 73, 17, 1 etc. Iul. V, 5 et vit. Sev. V, 5. cf. Hoefner p. 88, ubi ipse discrepantiam adnotavit.

7) Etiam alia H. ad Dionem revocavit, cf. p. 117/18. 203/4. 233. 289. praecipue 239, ubi ipse sententiam suam restrinxit eoque redarguit

Herodianum consuluisse, praesertim cum Herodianus quoque nusquam commemoretur[1]). Etiam VII, 1 „ingressus deinde Romam armatus cum armatis militibus Capitolium ascendit, inde in Palatium eodem habitu perrexit“ et VII, 3 „fuitque ingressus Severi odiosus atque terribilis“, simul ad Herodianum Hoefnerus refert, simul adnotat Spartianum et Herodianum in causa illius terroris indicanda differre[2])! Sed ita Spartianus fontes suos non circumspexit, ut secundum alterum rem ipsam, secundum alterum causam narraret, sed uni semper se fonti per spatium aliquantum totum se addixit.

Sed pergamus ad c. X. Epitomator hic diversas sententias de nomine Antonini aut Caracallae soli aut utrique Severi filio imposito prolatas commemorat. Putaverit fortasse primo obtutu aliquis Spartianum has omnes iam apud auctorem suum congestas invenisse; sed duas ob causas haec sententia reicienda est. Primum enim diversae illae opiniones ita proferuntur, ut, cui scriptor accedat, non appareat, id quod ut compilatoris naturae optime convenit, ita a Marii Maximi consuetudine abhorret. Deinde aliis locis harum opinionum modo haec modo illa sola commemoratur. In vit. Get. I, 3 eadem quae in vit. Sev. X, 4—5 sententia ita profertur, quasi sola vera sit neque alii aliter de ea re senserint. Sed ibidem paululo infra, postquam iam de nomine Geta disserere incepit, epitomator particula „etiam“ adhibita aliam explicationem addit (Geta II, 2), quam in vit. Sev. X, 6 invenimus. cf. etiam vit. Sev. XIX, 2. — Sed alia quoque vestigia adsunt, ex quibus apparet, non unum simpliciter auctorem usurpatum esse. X, 7 quae ab auguribus Paunoniacis Severo responsa esse dicuntur „victorem futurum, adversarium vero nec in potestatem venturum neque evasurum, sed iuxta aquam esse periturum“ consociari non possunt cum eis quae XI, 6 narrantur „Albini corpore adlato paene seminecis caput abscidi iussit Romamque deferri“, ad quem Albini exitum illud potius oraculum conformatum est, cuius in vit. Clod. Alb. IX, 2 Marius Maximus testis est „venturum quidem in potestatem eius Albinum, sed non vivum nec mortuum“. — Quae XI, 6—7 de Albini corpore a Severo foedato traduntur, perperam divelluntur verbis „victus est Albinus die XI Kal. Mart“. — Etiam quae ad ipsum certamen pertinent quam maxime confusa sunt. Initio c. X, § 7 edocemur primo Severi duces victos esse; attamen si § 8ae fidem habemus, „multi statim amici Albini deserentes venere, multi duces capti sunt,

1) Etiam in vita Clodii Albini, ubi nominatur, non primarius fons fuisse videtur, cf. vit. Clod. Alb I, 2, ubi unius memoriae auctor nominatur, cum cetera omnia ab eo abhorreant. cf. etiam quae Muellerus de eiusd. vit. c. VII, 3—VIII, 4 disputavit.

2) Her. II, 14, 1. Hoefner p. 115, A. 27.

in quos Severus animadvertit.“ Quid? num propterea Albinus deserebatur, quod victor exstiterat? Contra c. XI incipit „multis interim varie gestis in Gallia primo .... felicissime pugnavit Severus etc.“ — Adde quod pugnae quoque descriptionem epitomator perturbat, cum subito (§ 3) de senatus consulto et Severi litteris[1]) ad illum datis nonnulla inserit. Quae in his capitibus Mariana sint, quae ab eo aliena, discerni nequit.

C. XII—XVII, 4, exemptis cap. XIV paragraphis 5—13, e Mario fluxisse videntur. Bono enim ordine procedit narratio inde a capite XII, ubi Spartianus queritur, quam saeve Severus eos, qui ab Albino stetissent, persecutus sit. Postquam crudelissime in provinciis se gessisset, iratum et ultionis cupidum Romam eum contendisse, ubi apud senatum Commodum non modo defendisset, sed etiam inter deos rettulisset, ipsius vero clementiam, cum magnum senatorum aliorumque virorum illustrium numerum sine causae dictione caedi iuberet, magnopere praedicavisset. XLII insignium virorum ita mactatorum nomina in c. XIII memoriae produntur, quorum XXIX senatores fuisse et inter hos Claudium quoque Sulpicianum, Pertinacis socerum, Cassius Dio testatur[2]). Quam vitae partem e Mario Maximo fluxisse Muellerus loco ex vita Clod. Alb. XII, 14 allato, ex quo elucet praecipue illum in crudelitatem Severi vehementissime invectum esse, probabile reddidit, cum dubium non sit, quin ille, cui aditus ad senatus acta patuerit, nomina occisorum accurate prodere et potuerit et voluerit. Item alterum continuum excerptum XV, 1—XVII, 4, ubi narratur Severum ad bellum Parthicum profectum Syriam ab hostibus liberasse simulque, dum belli contra Parthos parandi causa ibi versatus esset, Pescennianas reliquias funditus exstinxisse, deinde aestate exeunte in Parthiam invasisse etc., cum XV, 6 nominatim testis advocetur, non dubito ad Marium Maximum referre, exceptis tantum hisce verbis „eundem (sc. Getam) Antoninum, ut plerique in litteras tradunt, appellantes“ (XVI, 4), quae Spartianus, ut ipse profitetur, aliunde repetivit[3]).

1) Ea epistula, quae in vit. Clod. Alb. inseritur (XII, 5—12), commenticia est, ut proclive est probatu; consideres, quaeso, haece XII, 7 „tantum olei quantum rerum natura vix habuit“ „a malis tyrannicis liberavi“ etc.; plane ridiculum est, quod auctor huius epistulae Severum magis etiam querentem facit, quod senatores Albinum propter litterarum studia laudaverint (XII, 12 sq.); plane perversum atque ineptum est, quod Severus Albinum ut Afrum contempsisse dicitur (XII, 8), cum nemo nesciat, Severum ipsum ex Africa oriundum fuisse, Ceterum in vit. Pesc. et Albini multae litterae confictae nobis occurrunt, veluti vit. Pesc. III, 9, Clod. Alb. XIV, 4.

2) Cass. Dio l. 75, 8, 3—4.

3) In eo haerendum non est, cum tales fontium dissensiones penitus compilatoris memoriae inhaesisse videantur, ut apparet ex Hadr. vit. XXIV, 3—5 et Sev. vit. X, 4—6 et multis ceterorum vitarum locis.